UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

**Baronio, Cesare**

**Coloniæ Agrippinæ, 1624**

Iesv Christi Annus 538. Silverii Pap. Annus 2. Ivstiniani Imp. 12. Vitigis Reg. 2.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14926**

Visual Library

a Nouel. 47. inter alias illas data Kalendis Septembris 4, qua in cunctis monumentis publicis apponi voluit nomen Imperatoris, Conſulum, & Indictionis, de qua ad confirmandam temporis rationem ſuperius egimus: aliæ b item de b Nouel. 14. 51. permutandis Eccleſiaſticis rebus: inſuper ne etiam aliquid ſoluatur pro admittendis clericis in eccleſiam c: c Nouel. 56. d Nouel. 58. item qua vetuit in priuatis domibus ſacra d fieri: & aliæ e e Nouel. 49. 59. 60. & ſup. Nouel. 57. c. 49. ad funera defunctorum conſtitutiones ſpectantes: quas cunctas tu, lector, otioſus conſulere poteris: nos hic imponimus anni huius rerum geſtarum finem.

## IESV CHRISTI
### Annus 538.

SILVERII PAP. Annus 2. IVSTINIANI IMP. 12. VITIGIS REG. 2.

I. VRBS A VITIGE OBSESSA. CONSVLIBVS Ioanne atque Voluſiano aperitur annus Domini quingenteſimus trigeſimus octauus, idemque à Procopio numeratus annus tertius belli Gothici in Italia: quo Vitiges Gothorum Rex, reuocatis in Italiam Gothis qui apud Francos erant, comparato exercitu (vt auctor eſt Procopius) centum & quinquaginta millium militum, aduerſus Beliſarium veniens, Romam menſe Martio obſidere cœpit, quæ autem crebrò inter vtramque partem ſint conflata certamina, iterati conflictus, & quam in multis prudentia & bellica fortitudo Beliſarij enituerit, eundem exactè cuncta narrantem Procopium conſule. Sat nobis pauca quædam ab inſtituto haud abhorrentia, ſed maxime congrua hic inſerere, quæ ad pietatem ſpectare poſſe pius quiſque cenſebit. vt cum hæc ſit de mœnium cuſtodia f: f Procop. de bello Goth. lib. 1.

II. *Inter hanc portam, nempe Flaminiam, & alteram ad dexteram huic proximam portulam, porta alia eſt, quæ Pinciana vocatur. Huic proximi muri pars quædam, lapidum laxata iampridem compagine ſciſſa ſpectatur, non ſolum à ſolo, ſed à medio ad ſummum faſtigium ſciſſa, nec ſane cecidit ipſa, nec alias reſoluta, ſed vtrinque ſic inclinauit, vt cætero muro extrinſecus partim prominentior eſſe appareat, partim retractior. Hanc muri* MVRVS VRBIS STVRIS PETRI PROTECTIONE *partem cum demoliri initio primum Beliſarius niteretur, & iterato ædificare cœpiſſet: obſtitere Romani, Petrum Apoſtolum pro indubitato ſe comperiſſe, aſſeuerantes, eius loci tuendi pollicitum curam ſe ſuſcepturum. Quod vtique Romanis ex voto ſucceſſit: quando quidem nec eo die, quo per Gothos ſunt mœnia oppugnata, nec per omne id tempus, quo Vrbem obſederant barbari, hoſtilis vis vlla ad hunc locum peruenit, nec plane vnquam eodem tumultuatum. Et ſane me admiratio ſubit, nec Romanis, nec hoſtibus ipſis in ea tam diuturna Vrbis obſidione in memoriam veniſſe muri hanc partem. Quæ res cum miraculi poſtea loco ſit habita, nec ſarcire quidem in poſterum quiſpiam, nec de integro reſtituere auſus eſt: ſed ad hunc diem ea è regione ſciſſus permanet murus.* hucuſque Procopius. Cernitur vſque hodie ipſe paries ab alio diuiſus, & quaſi iamiam caſurus deorſum inclinatus: vt qui neſciat, timeat illac pertranſire, Extant & ibi proxime venerandæ imagines, indices veteris eiuſdem loci ſacri cultus.

III. Sed illud maioris miraculi obtinet locum, quod cum per annum & amplius, Vrbe obſeſſa, in ſuburbiis moram fecerint barbari, iidemque Ariani atque Romanæ Eccleſiæ hoſtes, nihil tamen contumeliæ damniue intulere ipſis Apoſtolorum baſilicis extra Vrbem poſitis, ſinentes illic Catholico ritu libere ſacra peragi. Audi enim de his ipſa verba Procopij g: *Extat autem* (inquit) *Pauli Apoſtoli templum Romanis procul à mœnibus ſtadijs decem & quatuor, iuxta quod Tiberis fluit, vbi nullum patet munitum eſſe præſidium: porticus tamen eodem ab Vrbe pertinens, circaque ædificia alia pleraque non ſatis ad inuadendum opportunum locum hunc reddunt. Patebat & Gothis ad id ſacrarium via, per quos omnibus conſtat per id belli tempus in * neutra dedicata Apoſtolis æde quicquam editum, quod incolentibus vel moleſtiæ eſſet, vel quoquam pacto ingratum, ſed ſacratos ibidem viros libere permi-* g Procop. de bello Goth. lib. 2. GOTHI VENERATI BASILICAS ORTHODOXORVM. * id

*ſiſſe rem diuinam peragere.* hæc Procopius: quibus vehementer redarguas, exprobres, & execrationibus diris inceſſes recentes hæreticos diaboli faces, fæceſque hæreticorum, ſacra Deo dicata vbique Sanctorum monumenta rapinis incendiiſque vaſtantes.

IV. At audi portentum, attende facinus omni execratione dignum Romæ hoc tempore perpetratum ab eo, qui ſe Catholicæ fidei eſſe cultorem præ ſe ferebat ac defenſorem hactenus laudatiſſimum, Beliſario. Pro mõſtro plane habitum eſt, vt cum qui foris erant barbari hoſtes Gothi Ariani, ne clericorum quidem iniuria damnoue affecerint, nec impedierint, quominus Apoſtolis ſacri ibi conſiſtentes Deo dicati miniſtri diuerſi ordinis clerici conſuetum cultum impenderent, Apoſtolorumque baſilicis nec leue damnum attulerint: eodem tempore, qui intus degebat, pius, iuſtuſque hactenus ſemper viſus: ab Imperatore miſſus expugnare barbaros, Vrbemque ab eorum tyrannide vindicatam tueri, Dux exercitus Beliſarius, idem ex improuiſo tyrannus apparuerit, atque ſacrilegus in cathedram Petri & in vniuerſam Romanam Eccleſiam, eam barbarice tyranniceque iniuriis damnoque afficiens atque profanans, iniiciensque violentam manum in ipſum Romanum Pontificem, deturpans inhoneſtansq; ipſum viſibile loco Chriſti poſitum Eccleſiæ caput. Quomodo autem id acciderit in primis Procopium h audi ita rem tantam paucis abſoluentem. h Procop. de bello Goth. lib. 1.

V. THEODORA QVÆ ADVERSVS SILVERIVM SIT MOLITA. *Deinde* (inquit) *oborta ſuſpicione, Silueriũ vrbis Romæ Pontificem defecturum ad Gothos: hunc quidem confeſtim tranſmittit in Græciam, alterum vero quempiam illi ſufficit Vigilium nomine, nec ſecus & alios quoſdam & hos Senatorios viros.* hæc ipſe ſed doloſæ fraudis ille prætextus fuit: eiuſmodi enim velamento obtegebatur, quod impia Theodora (vt dictum eſt ex Liberato diacono) cum Vigilio ab Vrbe Cõſtantinopolim accerſito molita fuerat: nempe ſe effecturam, vt ipſe Pontifex expulſo Silverio, crearetur, dummodo quod ſpoponderat inſana cupiditate flagrans ambitione Vigilius, Anthimum ab Agapeto damnatum in Conſtantinopolitanam ſedem reſtitueret. Sed quæ de his paulo fuſius Anaſtaſius habeat, audiamus: *Theodora viſa conſilio cum Vigilio diacono, miſit epiſtolam Romam ad Silverium Papam rogans & obſecrans: Ne pigriteris ad nos venire: aut certe reuoca Anthimum in locum ſuum. Hæc cum legiſſet beatus Silverius, ingemuit, & dixit: Modo ſcio, quia cauſa hæc finem vitæ meæ adducit. Sed beatiſſimus Silverius fiduciam habens in Domino & beato Petro reſcripſit, dicens: Domina Auguſta, ego rem iſtam nunquam ero facturus, vt reuocem hominem hæreticum in ſua nequitia damnatum. Tunc indignata Auguſta miſit iuſſiones ſuas ad Beliſarium Patricium per Vigilium diaconum iſta continentes: Vide aliquas occaſiones in Silverio Papa, & depone illum de Epiſcopatu, aut feſtinus certe tranſmitte eum ad me. Ecce ibi habes Vigilium Archidiaconum & Apocriſarium, noſtrum chariſſimum, qui nobis pollicitus eſt, reuocare Anthimum Patriarcham. Tunc ſuſcipiens iuſſionem Beliſarius Patricius, ait: Ego quidem iuſſionem facio: ſed is, qui intercedit in necem Silverij Papæ, ipſe reddet rationem de factis ſuis Domino IESV CHRISTO.*

VI. QVA CALVMNIA IN SILVERIVM EXCOGITATA. *Et vrgente iuſſione, exierunt quidam falſi teſtes, qui dixerunt: Quia nos multis vicibus inuenimus Silverium Papam ſcripta huiuſmodi mittere ad Regem Gothorum: Veni ad portam, quæ vocatur Aſinaria iuxta Lateranas, & ciuitatem tibi trado & Beliſarium Patricium. Quod audiens Beliſarius, primo non credebat: ſciebat enim, quod per inuidiam de eo hæc dicebantur. Sed dum multi in eadem accuſatione perſiſterent, pertimuit. Tunc fecit Beliſarius Patricius beatum Silverium Papam venire ad ſe in Palatium Pincis *, & ad primum & ſecundum velum retinuit omnem clerum. Ingreſſo itaque Silverio & Vigilio ſolis in Mauſoleo, Antonina Patricia Beliſarii vxor ſedebat in lecto, & Beliſarius Patricius ſedebat ad pedes eius. Et dum vidiſſet eum Antonina Patricia, dixit ad eum: Dic, domine Silveri Papa, quid fecimus tibi & Romanis, vt tu velles nos in manus Gothorum tradere? Adhuc ea loquente, ingreſſus ſubdiaconus regionarius Regionis primæ tulit pallium de collo eius, & duxit eum in cubiculum, & expolians eum, induit eum monachicam veſtem, & abſcondit eum. Tunc Sixtus ſubdiaconus Regionis ſextæ videns* * Pincii vel in Pincio.

eum

*eum iam monachum, egreſſus foras, nunciauit ad clerum, dicens: Quod Quia dominus Papa depoſitus eſt, & factus eſt monachus: Quod audientes fugerunt omnes. Quem ſuſcipiens Vigilius Archidiaconus in ſua quaſi fide, & miſit eum in exilium ad Pontianas, & ſuſtentauit eum pane tribulationis & anguſtiæ.* hucuſque Anaſtaſius.

VII. Sed ab his diſſentit, quod ait Procopius, eum miſſum in Græciam; quod æque fatetur Liberatus diaconus *a*. Cæterum Anaſtaſius, omiſſo exilio Orientis, de vltima deportatione Silueri meminit, qua ex Græcia in Pontianam inſulam, ſiue illi proximam Palmariam dictam, contra Circeum montem poſitas, deportatus, ibi tandem mori coactus eſt. Sed & Liberatus diaconus in eo diſcrepat à Procopio, dum ait, id factum, vbi Beliſarius eſſet Rauennæ, quod non contigit, niſi anno ſequenti, vbi ſoluta eſt obſidio Vrbis: cum tamen Procopius diſertis verbis oſtendat id factum, cum Beliſarius Romæ detineretur obſeſſus. Sed præſtat hic reddere, quæ idem Liberatus de his habet, prætermiſſa ab Anaſtaſio atque Procopio: fuit & ipſe huius temporis ſcriptor, incipiensque à Vigilio in Italiam ex Oriente reuerſo, vbi eum Theodora conuenerat, Pontificatu & auro promiſſo: *Facta (inquit) promiſſione, Romam profectus eſt, vbi inuenit Siluerium Papam ordinatum. Quin & Rauennæ reperit Beliſarium in eadem vrbe ſedentem, eamque obtinentem.* hic puto Liberatum memoria lapſum Rauennam pro Neapoli poſuiſſe: nam vix anno quinto belli Gothici potitus eſt Rauenna Beliſarius: ſed longe ante conſtat Vigilium in Orientem remeaſſe, & quæ dicta ſunt aduerſus Siluerium molitum eſſe. Sed pergit auctor: *Cui tradens præceptum Auguſtæ: promiſit ei duo auri centenaria, ſi Silucrio remoto, ordinaretur ipſe pro eo. Beliſarius vero Romam reuerſus, euocans Siluerium ad Palatium, intentabat ei calumniam, quaſi Gothis ſcripſiſſet, vt Romam intrarent.*

VIII. *Fecerunt enim, Marcum quendam ſcholaſticum, & Iulianum quendam prætorianum, fictas de nomine Silucrij compoſuiſſe litteras Regi Gothorum ſcriptas. ex quibus conuinceretur Siluerius Romanam velle prodere ciuitatem. Secreto autem Beliſarius & eius coniunx perſuadebant Silucrio implere præceptum Auguſtæ, vt tolleretur Chalcedonenſis Synodus, & per epiſtolam ſuam hæreticorum firmaret fidem. Qui mox de Palatio egreſſus quid de eo fieret, conſiliariis ſuis locutus eſt. Et veniens contulit ſe in baſilicam beatæ martyris Sabinæ, ibique manebat. Vbi directus eſt ad eum Photis * filius Antoninæ Patriciæ, & præſtito ſacramento, inuitauit eum venire ad Palatium. Qui autem Silverio aſtabant, perſuadebant ei, ne Græcorum crederet iuramentis. Ille autem exiit, & ad Palatium venit. At illa quidem die poſt iuramento ad Eccleſiam redire permiſſus eſt. Ad quem rurſum mandauit Beliſarius, vt ad Palatium veniret. Qui de eccleſia exire nolebat, dolos ſibi præparatos agnoſcens. Sed poſtea orans, & cauſam ſuam Domino commendans exijt, & ad Palatium venit. Qui ſolus ingreſſus, a ſuis vlterius non eſt viſus. Et alia die Beliſarius, conuocatis presbyteris & diaconibus & clericis, mandauit eis, vt alium ſibi Papam eligerent. Quibus dubitantibus, & nonnullis ridentibus * fauore Beliſarij ordinatus eſt Vigilius. Siluerius autem in exilium miſſus eſt in ciuitatem prouinciæ Lyciæ, quæ Patara dicitur.* hactenus de expulſione Silacrii & intruſione Vigilii Liberatus.

* Photius

IX. Magna hæc quidem fuit horribiliſque in Eccleſia Romana tempeſtas à furente hæretica fœmina excitata, ab ambitioſo diacono procurata, per Beliſarium autem impie admodum conſummata, in eo quidem Pilato deteriorem, dum veritus eſt ipſe, ne fœminæ offenſam incurreret, cuius iuſſa feſtinauit implere, cum ille ipſum Cæſarem pertimuerit: ſed (vt ſuo loco dicemus) luit meritas infelix pœnas; nam qui tāto patrato ſcelere ſibi deuincire putauit per Theodoram Imperatorem, Deo vlciſcente factum, vt eumdem infenſiſſimum expertus poſtea fuerit aduerſarium, ab eodemque ipſe, qui tot victoriis glorioſus toti conſpicuus Orbi fuit, in ordinem redactus ſit, exemplum poſteris factus, quanto ſuo quis damno in Chriſtū Domini manus violentas iniiciat. Cui ob immenſitatem ſceleris perpetrati nec ſatis fuit ad veniam promerendam facti pœnitentia; nam noluit omnino Deus, licet diſtulerit, abſque vindicta relinqui, quod tanto ſacrilegio facinus horrendum ab ipſo fuerat perpetratum.

Beliſarius enim poſt ſcelus admiſſum, in ſe reuerſus, veluti ebrietate iam ſoluta, quod deliquiſſet ob mentis oculos iugiter habens, ſe ipſum erubuit, & deteſtatus valde, ad expiandum immane facinus, vt offenſum diuinum numen conciliaret, illudque ipſum redderet ſibi propitium, mox Romæ eccleſiam erigendam curauit, cui præ foribus eiuſmodi inſcriptionem lapidi incidi voluit, patrati facinoris pœnitentiæ perpetuum monumentum *b*: X. DE POENITENTIA BELISARII.

b *Extat Romæ in pariete eccl. Cruciferorum inter Pincium montem & Quirinalem.*

HANC VIR PATRICIVS VILISARIVS VRBIS AMICVS
OB CVLPÆ VENIAM CONDIDIT ECCLESIAM.
HANC ICCIRCO PEDEM SACRAM QVI PONIS IN ÆDEM
VT MISERETVR EVM SÆPE PRECARE DEVM.

---

IANVA HÆC EST TEMPLI DOMINO DEFENSA POTENTI.

At licet ipſa eccleſia ab eo erecta perierit, demolita fortaſſe à Gothis, cum rurſum potiti ſunt Vrbe (vt par eſt credere) in odium ipſius conditoris Beliſarii: ipſa tamen inſcriptio adhuc integra legitur, in alterius eccleſiæ affixa pariete, vt habes notatum in margine.

XI. Hæc quidem paſſus Siluerius haud potuit eſſe deſinere, quod erat Romanus Pontifex: qui ad ſuum Apoſtolatum illa plane adiecit Apoſtolica ſigna, quibus Petrus *c* & alii gloriabantur Apoſtoli, quod videlicet digni habiti eſſent pro nomine Ieſu contumeliam pati. Ipſo enim viuente, nemo iure dixerit, Vigilium vere potuiſſe Pontificem Maximum dici, licet in ſede Petri ſederit violenter intruſus: ſed Siluerium ipſum legitimum Papam & quidem claritudine auctum, vtpote adiicientem ad Pontificiam dignitatem confeſſionis coronam, illuſtrātemque ipſam palma martyrii, præter alia egregia facta complura: cum, dum vixit nihil remiſerit, licet exul, ſacerdotalis auctoritatis atq. Pontificiæ maieſtatis, vt quæ ab eo geſta ſunt, aperte declarant, de quibus agendum erit paulo poſt. Quæ autem poſt hæc tranſacta ſint Romæ inter Vigilium & Beliſarium, idem Liberatus enarrat his verbis *d*:

c *Act. 5.*

d *Liberat. diac. in Breuiar. c. 22.*

XII. TVRPITVDO VIGILII DE AVRO POLLICITO.

*Poſt ordinationem ergo ſuam compellebatur Vigilius à Beliſario implere promiſſionem ſuam, quam Auguſtæ promiſerat, vt ſibi redderet duo auri centenaria promiſſa. Vigilius autem timore Romanorum, & auaritia patrocinante, nolebat ſponſiones ſuas implere.* hæc quidem de Vigilio iure dicta, ſententia in eum lata à ſancto Siluerio Papa demonſtrat, vbi habetur ſimoniacam labem contraxiſſe ipſum Vigilium ſpondendo aurum, vt Pontifex eſſe poſſet. His de Vigilio præmiſſis, Siluerii in Orientem deportati veſtigia aſſectatus idem Liberatus, quæ tunc ibi facta ſunt, ſcriptis prodidit. Accidit plane illud admirandum; vt cum aduerſus ipſum Romanum Pontificem inſurrexiſſet, qui inhærebat lateri eius diaconus ipſe Vigilius; Deus excitauerit ſpiritum vnius ex Græcis Epiſcopis, qui magno ſumpto animo pro eius defenſione ſurrexerit, ſteteritque contra Imperatorem, ipſum de ſacrilegio perpetrato redarguens. Hæc quidem Liberatus diaconus habet paucis deſcripta his verbis:

XIII. *Sed Silverio veniente Pataram, venerabilis Epiſcopus ciuitatis ipſius venit ad Imperatorem, & iudicium Dei conteſtatus eſt de tantæ ſedis Epiſcopi expulſione: multos dicens eſſe in hoc mundo Reges, & non eſſe vnum, ſicut ille Papa, eſt ſuper Eccleſiam mundi totius à ſua ſede expulſus. Quem audiens Imperator, reuocari Romam Siluerium iuſſit, & de litteris illius iudicium fieri: vt ſi approbaretur ab ipſo fuiſſe ſcriptas, in quacunque ciuitate Epiſcopus degeret: ſi autem falſæ fuiſſent approbatæ, reſtitueretur ſuæ ſedi.* Ita quidem ſentiens Iuſtinianus Imperator

IVSTINIAN. RESTITVI SILVERIVM IVBET.

perator non eſſe cuiuslibet poteſtatis damnare Romanum Pontificem, quem etiam ſi erraſſe conuinceretur, Romanum tamen Epiſcopum, licet non Romæ, voluit permanere, ne videlicet (quod obiectum ei fuerat) ipſo moliente, daretur vrbs Gothis, ſed vt aliis in locis eamdem, qua fungebatur, retineret Pontificiam dignitatem. Sed audi, quid poſt hæc narret idem Liberatus de conatu Theodoræ Auguſtæ etiam Pelagium diaconum Apocriſarium impellentis, vt Siluerii reditum impediret

a Liber. diac in Breu. cap.

a: *Pelagius vero currens cum voluntate Auguſtæ, volebat irritum facere Imperatoris præceptum, ne Siluerius Romam reuerteretur, ſed præualente Imperatoris iuſſione, Siluerius ad Italiam reuerſus eſt. Cuius aduentu territus Vigilius, ne ſede pelleretur, Beliſario mandauit: Trade mihi Siluerium; alioquin non poſſum facere, quod à me exigis. Ita Siluerius traditus eſt duobus Vigilii defenſoribus & ſeruis eius. Qui in Palmariam inſulam adductus, ſub eorum cuſtodia defecit inedia. Vigilius autem per Antoninam Beliſarij coniugem implens promiſſionem ſuam, quam Auguſtæ fecerat, talem ſcripſit epiſtolam.*

XIV. VIGILII NOMINE EPISTOLA IMPIA.

* fratribus

*Dominis & patribus * Vigilius.*

*Scio quidem, quia ad ſanctitatem veſtram antea fides mea credulitas, Deo adiuuante, peruenit. Sed quia modo glorioſa filia mea Patricia Antonina Chriſtianiſſima deſideria mea fecit impleri, quod fraternitati veſtræ præſentia ſcripta tranſmitterem: ſalutans ergo vos gratia, qua nos Deo noſtro Chriſto Saluatori coniungimur, & eam fidem, quam teneo, Deo adiuuante, & tenuiſſe & tenere ſignifico; ſciens quia illud inter nos prædicamus & legimus, vt & anima vna ſit, & cor vnum in Deo. Profectus * mei, quia veſter eſt, Deo adiuuante, vobis gaudia maturauit ex meo animo, ſciens fraternitatem veſtram, quæ optat & libenter amplecti. Oportet ergo, vt hæc, quæ vobis ſcribo, nullus agnoſcat, ſed magis tamquam ſuſpectum hic me ſapientia veſtra ante alios exiſtimet habere, vt poſſim hæc, quæ concepi, facilius operari & perficere.* Et ſubſcriptio. *Orate pro nobis Deum, mihi fratres in Chriſto Domino noſtro charitate coniuncti.* hactenus Vigilii nomine epiſtola ſcripta.

* Profectus

XV.

Hic, amabo te, ſiſte paululum gradum, lector, & illud inprimis conſidera, etiam ſi vere iſta ſcripſiſſet Vigilius, nullum tamen ob id inferri penitus præiudicium Apoſtolicæ ſedi, cuius tunc ipſe inuaſor, Siluerius autem germanus Pontifex eſſet; Verum commentitiam hanc fuiſſe epiſtolam, plura ſunt, quæ perſuadent. Si enim re vera ſcripſiſſet iſta Vigilius; cur non ex iiſdem ſuis ſcriptis conuictus eſt, cum de reſtitutione Anthimi altercatus eſt poſtea Conſtantinopoli cum Theodora? Rurſum ſi iſthæc ab ipſo ſcripta ſunt; cur non exprobrata eadem, cum ipſe Conſtantinopoli à Theodoro Epiſcopo Cæſarienſi & Menna Conſtantinopolitano durius vexaretur, cum vtrumque ipſe Vigilius excommunicationi ſubiecit? Vel cur non id factum ab ipſo Iuſtiniano Imperatore, cum in ipſum furore accenſus etiam vi agendum putauit? Cur item id tacuit ipſa Quinta Synodus in eumdem Pontificem accedere renuentem nonnihil commota? Hæc omnia publice ſunt ventilata, & publicis Actis excepta, nec tamẽ de dicta epiſtola vel nutu vlquam mentio. Neque etiam Facundus Hermianenſis Epiſcopus in Vigilium ob Tria capitula ſub inſenſus aliquid huiuſmodi (ſicut cætera) ipſi obiicere vmquam auſus apparet. Sunt vero & alia inferius dicenda, quibus eamdem epiſtolam impoſturæ redarguas.

XVI. BLASPHEMÆ VIGILII NOMINE SCRIPTA.

Sed accipe, quæ his ſubiicit Liberatus: *Sub hac* (inquit) *epiſtola Vigilius fidem ſuam ſcripſit, & reſoluens tomum Papæ Leonis, ſic dicit: Nos non duas naturas in Chriſto confitemur, ſed ex duabus naturis compoſitum Deum Filium, vnum Chriſtum, vnum Dominum.* Et iterum: *Qui dicit in Chriſto duas formas, vnaquaque agente cum ſua communione, & non confitetur vnam perſonam, vnam eſſentiam; anathema ſit. Qui dicit, quia hic quidem miracula faciebat, hic vero paſſionibus ſuccumbebat, & non confitetur miracula & paſſiones vnius eiuſdemque, quas ſponte ſua ſuſtinuit carne nobis conſubſtantiali, anathema ſit. Qui dicit, quod Chriſtus velut homo miſericordia dignus eſt, & non dicit Deum Verbum & crucifixum eſſe, vt miſereatur nobis; anathema ſit. Anathematizamus ergo Paulum Samoſatenum, Dioſcorum, Theodorum, & Theodoretum, & omnes qui ſtatuta eorum coluerunt & colunt. Et hac Vigilius ſcribens hæreticis occulte, permanſit ſedens.* In qua impletum eſt illud teſtimonium, quod Salomon in Prouerbiis dicit b: *Edent viæ ſuæ fructus, & conſiliis ſuis ſaturabuntur. Ab ipſa hæreſi afflictus, nec coronatus, qualem vitæ terminum ſuſcepit, notum eſt omnibus.* hæc Liberatus: quem rogo, quonam pacto potuit Vigilius anathematizare Dioſcorum, ſi cum Dioſcoro Eutychianam hæreſim prædicat? hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt vtraque vera eſſe non poſſint. b Prou. 1.

XVII.

Sed in hunc ſe miſer ſtatum coniecit, vt hæretica ſcripſiſſe, ab hæreticis vel fingi potuerit. Quid reliquum eſſe potuit ſalis infatuati, niſi vt conculcaretur ab omnibus, & proiiceretur in hæreſum ſterquilinium? putorem namque contraxit hæreticæ prauitatis ex conſuetudine inita cum hæreticis. En in quod barathrum infelicem hominem coniecit ambitio! in quam eum inſaniam & infamiam adegit gloriæ vanæ cupido! cuius cauſa cogatur & in ipſo portu pati naufragium, in Petra petræ ſcandalum eſſe, atque in ſede videri mobilem, & in fide infidelem haberi. Ita plane ſententia Domini iudicatur à fide excidere, qui gloriæ mancipium ſe conſtituit; ipſo dicente c: *Quomodo poteſtis credere, ſi gloriam abinuicem accipitis?* & de huius ſimili Ioannes d: *Diotrepes, qui amat primatum gerere in eis, non recipit nos.*

VNDE VIGILII LAPSVS.

c Ioan. 5.

d 3. Ioan. 3.

XVIII.

Quis non putaſſet Vigilium gloriæ turbine agitatum, in tranſuerſum ferri, & in præcipitia dedi? qui diu ante iam temporibus (vt vidimus) Bonifacii, vt ab eo viuente ſubrogaretur in ſedem, contra leges omnes Eccleſiaſticas atque morem, impudens pertentaſſet? Ita plane pondere ſcelerum prægrauatus, dum ſurſum aſcendere meditatur, deorſum vna cum iis & ab iis, qui in cœlo principatum ſuperbe appetiere, demergitur, eadem cum illis conſilia mente voluens e: *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* cum his plane appetiit aſcendere, ſedemque collocare ſuper inanium altitudinem nubium, non ſupra deorſum poſitam in fundamento ſtabilem petram, de qua à Domino dictum f: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* At non eſt ſolium g filiæ Chaldæorum: vagetur neceſſe eſt vt Cain h, qui intus clauſum habet, quod eum agit in diuerſa, peccatum: perſtat econtra ſtabilis & immobilis, qui ſuper Petram ſolium collocauit, licet vndique vel ex inferorum ſpiritibus, vel Principibus huius ſeculi inſurgerent tempeſtates; ipſe Siluerius ſicuti verus legitimuſque Petri ſucceſſor: quamuis enim in inſulam fuerit relegatus, factus eſt tamen ibi inhærens Petræ ipſe duriſſima petra, in quam tumentes fluctus illiſi, in gracilem ſpumam conuerſi retro fracti reſilire coacti ſunt: immobiliſque manet in Apoſtolico ſedens throno inſtar Regis i, qui ſedens in ſolio iudicii diſſipat omne malum intuitu ſuo: Habito enim illic Epiſcoporum Concilio, in Vigilium ſententiam damnationis intorquet; vt quæ inferius dicturi ſumus, ſignificabunt.

e Iſa. 14.

f Matt. 16.

g Iſa. 47.

h Gen. 4.

i Prou. 20.

XIX. QVOD EA EPIST. NEGARI POSSIT ESSE VIGILII.

Cæterum quod ad Vigilium ſpectat; etſi complura ab eo perperam facta ipſum condemnent, vt excuſari non poſſit, clamantibus vndique ſacrilegiis: non defuerunt tamen, qui Vigilii eam eſſe epiſtolam ad Theodoram inſcriptam negarint, nomine vero ipſius ab aliquo Eutychiano ſuppoſitam, eoque imperito, vt ex pluribus colligi poteſt. Equidem præter ea, quæ dicta ſunt, non Vigilii eam putamus: nam nomine Vigilii ab hæreticis ſcriptas fuiſſe litteras, Synodi Sextæ Actæ teſtantur, k in quibus hæc de damnatis impoſturis hæreticorum: *Anathema libro, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, & qui eum finxerunt, ſiue ſcripſerunt. Anathema libellis, qui dicuntur facti fuiſſe à Vigilio ad Iuſtinianum & Theodoram diuæ*

k Sext. Syn. Act. 15. 1o2. Concil.

memo-

memoria, & qui ſunt demonſtrati. hæc ibi. Sane quidem inſcriptio recitatæ nuper epiſtolæ nomine Vigilii, Ad dominos, ad Iuſtinianum & Theodoram Augg. ſcriptam eam fuiſſe demonſtrat. Sed & abhorret à conſueto ſcribentis more, dum præter dominos, & ad Patres, eadem epiſtola habeatur inſcripta: vt iure poſſit arguí impoſturæ. Etenim cum Vigilius, expulſo Siluerio, ſe geſſit tamquam Romanum Pontificem: quodnam vmquam extitit prædeceſſorum exemplum, vt ipſos Imperatores Patres nominarit Romanus Pontifex, quos potius filios conſtat ſolitum appellare? Vel ſi dicas ſcriptum ad Epiſcopos: quî nouus mos iſte & penitus inuſitatus, vt Romanus Pontifex coepiſcopos Patres appellet & dominos? Vel ſi legas, Fratres: certe procul abhorret, vt eoſdem dicat & dominos. Præterea vero in eadem epiſtola à ſe ipſo diſcrepat auctor, contraria ſimul iungens. Etenim quomodo cum Eutychete & Dioſcoro negat duas in Chriſto naturas, & paulo inferius vna cum aliis anathema Dioſcoro infert? Hæc quidem cum ſibi inuicem aduerſentur, augent (vt dixi) de impoſtura ſuſpicionem.

XX. Sed licet Vigilii ſchiſmatici, alienæ ſedis emptoris & inuaſoris (quæ negari non poſſunt) eam epiſtolam fuiſſe diceremus: haud mirum videri debet, vt perditus homo addiderit ad ſchiſma hæreſim quoque. Auſus enim ſemel cathedram erigere contra cathedram, & viuente paſtore legitimo, nulla niſi ſæcularis hominis auctoritate abſque iudicii vlla forma ſententia condemnato, ſedere Pontifex: quonam alio nomine, quam lupus gregem inuadens, fur & latro non per oſtium, ſed aliunde in ouile ouium conſcendens, pſeudoepiſcopus contra legitimum Epiſcopum ſtans, ac denique Antichriſtus contra Chriſtum iure potuit appellari? Superat eiuſmodi ſcelus quodlibet id genus antea perpetratum: cedit huic Nouati impietas, pertinacia Vrſicini, Laurentii præſumptio, ac denique aliorum omnium ſchiſmaticorum Antiſtitum ſuperbia, arrogantia, atque facinoroſa temeritas: ſiquidem nemo, ſicut iſte, tanta impudentia in viuentis Pontificis ſedem inſiliit, vt talibus perfidiæ præmiſſis anteambulonibus ſacrilegis eam occuparit, tantoque periculo ex pactis conuentis cum hæreticis obtinuerit; cum eiuſmodi improbo facto ianua aperta videri potuiſſet, per quam in Romanam Eccleſiam (proh ſcelus!) hæreſes cum hæreticis ſe immitterent, atque cuncta Apoſtolica dogmata peſſumdarent. Nullum hactenus ſchiſma extitit, ex quo in tantam ignominiam inducta ſit ipſa Pontificis ſacroſancta maieſtas, cum datur laico homini, abſque Concilio, vlloq; ſacerdotum aſſenſu damnare primæ ſedis Antiſtitem; vique pellere, expoliatumque ſacerdotalibus indumentis procul eiicere in exilium, & reſtitutum licet ſententia Imperatoris, nihilominus in inſulam relegare, morique cogere. At quomodo Apoſtolicæ ſedi moderandæ inuigilauerit in Vigilio Dei vindicta, atque tandem iuſtum ſanguinem vltа ſit, ſuo loco dicturi ſumus.

XXI. Cum igitur hoc anno, expulſo Siluerio, ageret Vigilius Romanum Pontificem, quantumlibet ſpurius, atque penitus, dum vixit Siluerius, illegitimus: quæ tamen Pontificij muneris eſſent, exequi minime prætermiſit. Nam inter alia reſpondiſſe reperitur hoc anno ſub dictis Conſulibus ad conſultationem Eutherij Epiſcopi: cum enim ad legitimum Pont. Siluerium ſcriptas literas accepiſſet, illo è ſede electo, ipſe reſcripſit. Quiſnam autem fuerit Eutherius, ad quem ſcribit, & cuius ciuitatis Epiſcopus, licet nulla ſit mentio; tamen ipſum fuiſſe Epiſcopum in extremis Hiſpaniæ oris Oceano coniunctis, vel in Luſitania, aut in Gallicia, ſatis poſſumus ex epiſtolæ argumento colligere: ibi namq; viguiſſe rurſum Priſcillianiſtarum hæreſim, ſuperius diximus, cum egimus de epiſtola S. Leonis Papæ ad Turibium ſcripta, ex qua petenda eſt obſcurorum hic poſitorum locorum elucidatio: licet habeat aliqua amplius epiſtola iſta, ex qua quiſnam fuerit huius temporis illius prouinciæ Eccleſiarum ſtatus, intelligi poſſe videtur, quamobrem hic ipſam recitare, vtile iudicamus: ſic enim ſe habet a:

*Dilectiſſimo fratri Eutherio Vigilius.*

XVII. VIGILII EPIST. AD EUTHERIUM.

*Directas ad nos tuæ charitatis epiſtolas plenas Catholicæ inquiſitionis ſollicitudine gratanter accepimus benedicentes Dei noſtri clementiam, quia tales in extremis mundi partibus dignatur ſuis ouibus prouidere paſtores, per quos & paſcuis valeant ſalutaribus abundare, & ab antiqui hoſtis rapacitate ſeruari, vt inſidias nequeant eius ſubreptionis incurrere. Vnde certum eſt, quia promiſſa vos beatitudinis gratia ſubſequatur, quando à vobis cæleſtium perfectio doctrinarum tam votiua ſuſcitatione perquiritur. Scriptum eſt enim* b: *Beati, qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Hoc igitur, frater chariſſime, propoſitum tuæ conſultationis tota mente tractantes, de te quoque prouenire contendimus, qui regulam Catholicæ fidei iiſdem ſtudes tenere veſtigiis, quibus eam in Apoſtolica fide cognoſcis eſſe fundatam. Et quamuis ſonus* c *eorum toto orbe diffuſus, & vſque ad fines orbis terræ verba eorum diſtenſa, dilectionis tuæ corda Chriſto probauerint eſſe fidelia: tamen ſi quid ex his in Eccleſia, quæ tuæ gubernationi, Deo auxiliante, commiſſa eſt; necdum plena luce claruerit: ad eumdem fontem, de quo illa ſalutaris manarat limpha, recurritis: quod debita charitate ſumus amplexi: quia fiducialiter de his, vnde apud eos obſeruantiam eſſe dixiſtis ambiguam, noſtra voluiſti reſponſione firmari. Quapropter dilectionem tuam in Domino ſalutantes, de ſingulis quid iuxta Catholicam diſciplinam teneat Apoſtolicæ ſedis auctoritas, ſubiectis aliquibus etiam ſanctarum capitulis regularum te credimus inſtruendum.*

XXIII. DE PRISCILLIANISTARUM ABSTINENTIA.

*Ac primum de his, quos Priſcillianæ hæreſis indicaſti vitiis inquinari, ſancto & conueniente religioni Catholicæ eos deteſtatione indicas arguendos, qui ita ſe ſub abſtinentiæ ſimulatæ prætextu ab eſcis videntur carnium ſubmouere, vt hoc execrationis potius animo, quam deuotionis probentur efficere: quæ in re quia nefandiſſimis Manichæis eſſe conſimiles approbantur, iuſte Patrum venerabilium conſtitutis ab hac ſuperſtitione ſub anathematis ſunt interminatione prohibiti, quando aliquid ciborum contagione carnium credunt eſſe pollutum.* & poſt multa, quibus ex diuinæ Scripturæ ſententiis eiuſmodi confutat impietatem, iſta mox ſubiicit de alio eorundem errore:

XXIV. DE BAPTISMI FORMA ET GLORIFICATIONIS HYMNO.

*De baptiſmo quoque ſolemniter adimplendo ſimiliter quid Apoſtolica vel ſanxerit, vel obſeruet auctoritas, in ſubiectis tua charitas euidenter agnoſcet. Illud autem nouelli eſſe indicamus erroris, quod cum in fine pſalmorum ab omnibus Catholicis ex more dicatur, Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto; aliqui (ſicut indicas) ſubducta vna ſyllaba coniunctiua, perfectum conantur minuere vocabulum Trinitatis, dicendo, Gloria Patri & Filio Spiritui ſancto. Quamuis ergo ipſa nos ratio euidenter edoceat, quia ſubducta vna ſyllaba, perſonam Filij & Spiritus ſancti vnam quodammodo eſſe deſignent: tamen ad errorem talium conuincendum ſufficit, quod Dominus Ieſus Chriſtus deſignans in inuocatione Trinitatis credentium debere baptiſma celebrari, dixit* d: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Ergo cum non dixerit, In nomine Patris & Filij Spiritus ſancti, ſed æqualibus diſtinctionibus Patrem & Filium & Spiritum ſanctum iuſſerit nominare: conſtat illos omnino à doctrina Dominica deuiare, qui aliquid huic voluerint confeſſioni derogare. Qui ſi in errore permanſerint, ſocij nobis eſſe non poſſunt.* hæc cum damnet Vigilius: ſi quis cauſam huius erroris indagare voluerit, conſulat citatam ſuperiori tomo S. Leonis Papæ epiſtolam ad Turibium Epiſcopum Aſturicenſem eodem argumento, nempe contra Priſcillianiſtas in Hiſpania commorantes conſcriptam.

XXV. DE REBAPTIZATIS AB ARIANIS.

Quod autem vna ex parte ob Priſcillianiſtas, altera vero ob Arianos, Arianis Principibus in Hiſpaniis regnantibus, Hiſpana anguſtiaretur Eccleſia; Catholicis aduerſus vtramque peſtem fuerunt remedia conquirenda: Vigilius iſta de Apoſtolico fonte, quæ à maiorib. tradita reperit (aliter enim non liceret ſcire) petenti propinat: *De his etiam* (inquit) *qui baptiſmatis gratia ſalutaris accepta, quod Arianos iterum baptizati, profundæ voraginis ſunt morte demerſi, quid per ſingulos ordines vel ætate antecesſorum noſtro-*

a Vigil. epiſt. 1. tom. 1. epiſt. Rom. Pont.

b Pſal. 118.

c Pſal. 18.

d Matt. vlt.

*rum decreta cenſuerunt, quæ multiplici ſunt digeſta ratione è noſtro ſcrinio releuata capitula his ſubiecta direximus. In quibus tamen illud ſpeciali charitate etiam conuenit obſeruari, vt quia pro peccatis pluribus ingentibus iniquitas ipſa reſurrexit, in æſtimatione fraternitatis tuæ, aliorumque Pontificum per ſuas diœceſes relinquatur, vt ſi qualitas & pœnitentiæ deuotio fuerit approbata, indulgentia quoque remedio ſit vicina. Quorum tamen reconciliatio non per illam impoſitionem manus, quæ per inuocationem Spiritus ſancti fit, quæratur, ſed per illam, qua pœnitentiæ fructus acquiritur, & ſanctæ communionis reſtitutio perficitur.* Vidiſti Vigilium, etſi non legitimum Pontificem, legitimorum tamen inhærentem veſtigiis: quod agi ſolitum erat, cum enim aliqui Eccleſiam Romanam Epiſcopi diuerſarum prouinciarum conſulerent, ne vel minimum à prædeceſſorum deuiarent decretis, ipſi Pontifices ipſa antiqua reſerabant archiua, vt quæ de eo, quod quærere tur, eſſent à maioribus reſponſa, cognoſcerent, & illis conſentientia reſponderent.

XXVI. ROM. ECCL. RITVS EX TRADITIONE APOSTOLORVM.

Poſt hæc autem ſubiicit de reparatis eccleſiis dedicandis, quando nempe ſolemnis deberet in eis dedicatio iterari, vel fieri reconciliatio cum Miſſis, vel tantum aqua benedicta eædem fuerint cõſpergendæ. His addit de tempore Paſchatis celebrandi his verbis: *Paſcha vero futurum nos ſi Deus voluerit, 11. Kalen. Maiarum die celebraturos eſſe cognoſcite*, ſubdit & de ordine precum, qui ſeruari ſolitus eſſet ab Eccleſia Romana in celebritate Miſſarum ex Apoſtolica traditione: nam ait: *Ordinem quoque precum in celebritate Miſſarum nullo nos tempore, nulla feſtiuitate ſignificamus habere diuiſum, ſed ſemper eodem tenore oblata Deo munera conſecrare. Quoties vero Paſchalis, aut Aſcenſionis Domini, vel Pentecoſtes, vel Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda feſtiuitas, ſingula capitula diebus apta ſubiungimus, quibus commemorationem ſanctæ ſolemnitatis, aut eorum facimus, quorum natalitia celebramus: cætera vero ordine conſueto proſequimur. Quapropter & ipſius canonicæ precis textum direximus ſubter adiectum: quem, Deo propitio, ex Apoſtolica traditione ſuſcepimus. Et vt charitas tua cuncta cognoſcat, quibus locis aliqua feſtiuitatibus apta connectis, Paſchalis diei preces ſimiliter adiecimus.* & poſt exhortationem ad fidem Catholicam illibate ſeruandam, hæc de miſſis reliquiis iungit: *Significatio etiam, beatorum Apoſtolorum vel Martyrum (ſicut ſperamus) ſancto nos affectui tuo direxiſſe reliquias, præſumentes fidem veſtram eorum deinceps plenius eſſe meritis adiuuandam*, & poſt aliqua de baptiſmi forma corrupta in integrum reſtituta de Romanæ Eccleſiæ primatu vbique cognito addit hæc verba:

XXVII. ROM. ECCL. PRINCIPATVS.

*Nulli vel tenuiter ſentienti, vel pleniter ſapienti dubium eſt, quod Eccleſia Romana fundamentum & forma ſit Eccleſiarum, à quo omnes Eccleſias principium ſumpſiſſe, nemo recte credentium ignorat. Quoniam licet omnium Apoſtolorũ par eſſet electio, beato tamen Petro conceſſum eſt, vt cæteris præeminerat: vnde & Cephas vocatur, quia caput eſt & principiũ omnium Apoſtolorũ, & quod in capite præceſſit in membris ſequi neceſſe eſt. Quamobrem ſancta Romana Eccleſia eius merito Domini voce conſecrata, & ſanctorum Patrum auctoritate roborata, primatum tenet omnium Eccleſiarum: ad quam tam ſumma Epiſcoporum negotia & iudicia atque querelæ, quam & maiores Eccleſiarum quæſtiones, quaſi ad caput, ſemper referẽda ſunt. Nã & qui ſe ſcit aliis eſſe præpoſitũ, non moleſte ferat aliquẽ eſſe ſibi prælatũ. Ipſa namque Eccleſia, quæ prima eſt, ita reliquis Eccleſiis vices ſuas credidit largiendas, vt in partẽ ſint vocatæ ſolicitudinis, non in plenitudinẽ poteſtatis. Vnde omniũ appellantium Apoſtolicam ſedẽ Epiſcoporum iudicia, & cunctarum maiora negotia cauſarũ eidẽ ſanctæ ſedi reſeruata eſſe liquet: præſertim cum in his omnibus eius ſemper ſit expectandum conſultum, cuius tramiti ſi quis obuiare tentauerit ſacerdotum, cauſas ſe non ſine honoris ſui periculo apud eandẽ ſanctam ſedem nouerit redditurum. Data Kal. Mart. Voluſiano & Ioanne viris clariſſimis Conſ.* hactenus Vigilii epiſtola, cum & habitum veri paſtoris induit ipſe, licet adhuc profanus.

XXVIII. Sed & hoc etiam anno ſub Ioannis Conſulatu, cum idem Vigilius Pontificem gereret, conſultus de iniungenda pœnitentia Theodoberto Regi Francorum, ob inceſtuoſas nuptias contractas, ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum ita reſcripſit.

*Dilectiſſimo fratri Cæſario Vigilius.*

EPISTOLA VIGILII PAP. AD S. CÆSAR. AREL. DE POENITEN. THEODOBERTI REG.

*Si pro obſeruatione cœleſtium mandatorum Catholicæ filios Eccleſiæ opportune vel importune ſacerdotes ſingulos decet inſtruere, quanto magis his, qui deuotione laudabili de rebus ſibi dubiis ad ſtudiũ veniunt conſulendi, cõpetenti neceſſe eſt ordine reſpondere? Hinc eſt quod glorioſi filii noſtri Regis Theodoberti interrogationẽ, quã nos per Modericũ virum illuſtrem legatum ſuum credidit requirendos, duximus amplectendam: in qua gloriã ſuam deſiderat informari, cuiuſmodi pœnitentia poſſit illum purgare delictum, quia cũ vxore fratris ſui illicitũ præſumpſit inire coniugium. Cui nos equidem miſſis aſſatibus, quorum tenorẽ tua fraternitas in ſubiectis inueniet, hoc indicare curauimus, quoniam tale commiſſum non parua cordis afflictione valeat expiari. Sed quia (ſicut charitatem tuam bene noſſe confidimus) modus pœnitentiæ præſentium potius ſacerdotum inſpectioni committitur, vt iuxta compunctionis meritum, venia quoque poſſit indulgeri remedium: tuæ hoc potius æſtimationi credimus relinquendum. Quapropter charitas tua totius facti qualitate, ac pœnitentis ipſius compunctione perſpecta, prædictum glorioſum Regem filium noſtrum, & de temporis obſeruatione non omittat inſtruere, & ne vlterius tale aliquid præſumatur, inſtanter expoſcat. Illud quam maxime prætauendum, vt ne ipſe, qui hoc noſcitur admiſiſſe, ad eoſdem vomitus reuertatur: ſed diuiſis etiam habitationibus cõmanentes, ab omni ſuſpicione cõmiſſi facinoris reddantur immunes. Dominus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime. Dat. pridie Non. Mart. Ioanne V. C. Conſ.* hactenus litteræ Vigilii, ad S. Cæſarium, impertitæ nobis vna cum aliis ab Eccleſia Arelaten. Iam vero his recenſitis, quid interea in Oriente in cauſa Origeniſtarum factum ſit, videamus.

Quem anno ſuperiori profectum eſſe Pelagium Romanæ Eccleſiæ diaconum in Palæſtinam, & cum Patriarchis Antiocheno ac Hieroſolymitano, iuncto ſimul Epiſcopo Epheſino, Gazæ damnaſſe Paulum Alexandrinum Epiſcopum, ex Liberato diacono dictum eſt: idem Pelagius, his abſolutis reuerſurus Conſtantinopolim, vbi agebat Apocriſarium, interpellatus ab Orthodoxis Palæſtinæ monachis aduerſus Origeniſtas, eoſdem ſecum Conſtantinopolim duxit. Quid autem ibi factum ſit, Liberatus diaconus ita narrat [a]: *Redeunte vero Pelagio Conſtantinopolim, monachi, qui ab Hieroſolymis, per quos Pelagius in Gazam tranſitum habuit, venerunt ad eum in Comitatu portantes capitula de libris Origenis excerpta, volentes agere apud Imperatorem, vt Origenes damnaretur cum illis capitulis. Igitur Pelagius æmulus exiſtens, Theodoro Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo, volens ei nocere, eo quod eſſet Origenis defenſor, vna cum Menna Archiepiſcopo Conſtantinopolitano flagitabat à Principe, vt iuberet fieri, quod illi monachi ſupplicabant, vt Origenes damnaretur cum ipſis capitulis talia dicentibus. Annuit Imperator faciliime, gaudens ſe de talium cauſa iudicium ferre. Iubente eo, dictata eſt in Origenem & in illa capitula anathematis damnatio: quam ſubſcribentes vna cum Menna Archiepiſcopo apud Conſtantinopolim reperti, deinde directa eſt Vigilio Romano Epiſcopo, Zoilo Alexandrino, Ephræmio Antiocheno, & Petro Hieroſolymitano. quibus eam accipientibus & ſubſcribentibus, Origenes damnatus eſt mortuus, qui viuens olim fuerat ante damnatus.* hactenus Liberatus. Quæ autem hæc ſecuta ſint, paulo poſt dicturi ſumus.

XXIX.

[a] Liberat. diac. in Breuiar. c. 23. prope fin.

MONACHI PALÆSTINI AGVNT, VT DAMNETVR ORIGENES.

XXX. SS. THEODOS. ET SABAS HOSTES ORIGENISTARVM.

Concitatos vero fuiſſe eiuſmodi monachos à S. Theodoſio in Palæſtina Archimandrita, de quo ſæpe ſuperius, eius Acta ſignificant: ſiquidem Cyrillus de ipſo, poſt damnationem hæreticorum ab Agapeto Romano Pontifice factam, hæc habet: *Maxime autem Theodoſius oſtendebat ſe auerſari Origenem, qui exiſtimauit ſuum in hoc ponendum ſtudium, vt diuinæ Apoſtolorum prædicationi nugas contexeret Gentilium, & luderet in rebus minime ludicris.* hæc ipſe. Sed & ſanctum Sabam magnopere auerſatum eſſe eiuſmodi hæreticos dictos Origeniſtas, ſuo loco ſuperius diximus.

XXXI. IVDICIVM IN CAVSA ORIGENIS.

Sic igitur (vt decebat rem tantã, cuius cauſa per multa ſæcula vniuerſus Chriſtianus exagitatus eſt Orbis) Occidentalibus ſimul conuenientibus cum Orientalibus, nempe pro illis Apoſtolicæ ſedis Apocriſiario Pelagio, & pro illis Menna & ipſo (vt dictum eſt) vicem agente Romani Pontificis; vna cum aliis Orthodoxis Epiſcopis,

qui

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

qui hoc tempore Conſtantinopoli ſunt reperti, magnum agitatum eſt de Origene iudicium, cui nec defuit maieſtas Imperatoris: qui cùm videret omnium vnam illam eſſe ſententiam, vt cum erroribus ſuis auctor etiam damnaretur, iuſſit (vt ex Liberato diacono modo vidimus) in Origenem eiuſq; decerpta ex ipſius ſcriptis errores capitula condemnationis ſententiam ſcribi: quod & factum eſt.

XXXII. Porro eam ſcriptam eſſe ſententiam à Menna Epiſcopo Conſtantinopolitano Vicario Apoſtolicæ ſedis vnà cum Pelagio S. R. E. diacono, nihil eſt, quod quis reuocare poſſit in dubium: ſed & eidem parte ſententiæ ceteros, qui reperti ſunt Conſtantinopoli, Epiſcopos ſubſcripſiſſe, Liberati aſſertio eſt: quam tamen Imperatoris nomini (vt alias plerumq; factum eſſe videmus) quo petulantes hæretici nihili facientes Catholicæ Eccleſiæ iudicium, neque timentes anathematis ab ea ſolitam exerceri cenſuram coerceri poſſent, per Imperatoriam conſtitutionem edendam curarunt. Eam itaque cùm ⟨i⟩ta leges, nō Iuſtiniani legere neſcientis lucubrationem exiſtima, ſed Mennæ atque Pelagii id ipſum Apoſtolica auctoritate retractantium, & collegarum Epiſcoporum accedente in ſubſcriptione conſenſu, Imperatoris tamen nomine ad Mennam inſcriptam, miſſam vero, quo omnibus nota fieret, ad Vigilium Romam, & ad Orientalis Eccleſiæ Patriarchas, & per eos ad Metropolitanos Epiſcopos.

XXXIII. Porro epiſtola iſta, ſiue conſtitutio tanti ponderis, ſcripta contra Origenem à Iuſtiniano Imperat. ad Mennam, cuius meminit Liberatus, diutiſſime latuit: quam ex ſcripto codice Antonii Auguſtini viri præſtantiſſimi, deque Eccleſiaſticis antiquitatibus optime meriti, Romam miſſo ad Antonium Carafam S. R. E. Cardinalem ſane doctiſſimum, ac maxime pium acceptam, hic tibi, ne exciderat tanquam obliuione ſepulta, primum edendam curamus, prolixam licet: tamen quod hactenus nuſquam editam eſſe ſciamus, laboris ſuſcepti minime pœnitebit; eoque magis, quod non ignoremus, & hodie non deeſſe, qui inſano quodam Origenis amore flagrent, eundemque conentur defendere, Æthiopem dealbantes. Opus namque fuit Patribus ipſis prolixe confutaſſe errores illos, quibus miſeri Origenitæ modo tenebantur oppreſſi: vt, ſi vellent, poſſent contra venena paratum antidotum adhibere: ſic enim ipſa ſe habet:

XXXIV. *Oratio * piiſſimi Imperatoris Iuſtiniani miſſa ad Mennam ſanctiſſimum ac beatiſſimum Archiepiſcopum vrbis Conſtantinopolis & Patriarcham aduerſus impium Origenem, nefariaſq; eius ſententias.*

*Nobis ſemper ſtudio fuit, atque etiam nunc eſt, rectam & irreprehenſibilem Chriſtianorum fidem, ſtatumq; ſanctiſſimum Dei Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ perturbationum expertem vſquequaque cuſtodiri. Hæc nobis prima & antiquiſſima cura eſt, per quam & nobis in præſenti ſæculo Imperium à Deo traditum eſſe & conſeruari credimus, & Reipublicæ noſtræ inimicos ſubdi, & in ſæculo futuro miſericordiam in conſpectu bonitatis eius nos adepturos eſſe ſperamus. Nam ſi humani generis hoſtis varias occaſiones comminiſcitur, quibus hominum animas ſtudet lædere: Dei tamen humanitas illius improbitatem & malitiam frangens atque euacuans, aduerſariosque redarguens, gregem ſuum damnum accipere aut diſſipari non permittit. Hæc autem à nobis ideo dicta ſunt, quod ad nos allatum eſt, nonnullos Dei metum in animo non habentes, nec rectæ doctrinæ diſcrimen tenentes, qua ſaluatur quicunq; veritatem cognoſcit, relictis diuinis Scripturis, ſanctiſq; Patribus, quos Catholica Dei Eccleſia doctores habet, per quos omnis vbiq; hæreſis expulſa eſt, fides vero Orthodoxa declarata: Origenem, eiuſq; dogmata Paganorum & Arianorum & Manichæorum erroribus aſſimia aſſerere, per quæ ille in foueam incidit.*

XXXV. *Qui eiuſmodi ſunt, quomodo poſſint in Chriſtianis numerari, cum tradere ſtudent? hominem, qui ea, quæ Pagani Manichæi, Ariani ſentiunt, tradere ſtudent? Qui ante omnia in ipſam ſanctam & conſubſtantialem Trinitatem blaſphemias auſus eſt dicere. Patrem maiorem eſſe Filio, Filium ſancto Spiritu, ſanctum Spiritum aliis ſpiritibus. Porro hoc ad impietatem ſuam addidit, vt diceret nec poſſe Filium Patrem videre, nec Spiritum ſanctum Filium: Ipſum Filium & Spiritum ſanctum creaturas eſſe: quodq; nos ſumus ad Filium, Filium eſſe ad Patrem. Ad ſuas autem blaſphemias hoc quoque adiunxit in primo ſermone Periarchon his verbis ſic dicens. In principio quod cogitatur, tantum numerum voluntate ſua intelligibilium ſubſtantiarum conſtituit Deus, quantum poterat perdurare. Dicendum enim, finitam eſſe Dei potentiam; nec ſub obtentu laudis ac bonorum verborum tollenda eius circumſcriptio eſt. Etenim ſi infinita ſit diuina potentia, neceſſe eſt eam nec ſe ipſam quidem intelligere. Natura enim infinitum comprehendi non poteſt. Tanta igitur fecit, quanta poterat apprehendere & ſub manu habere; & ſub prouidentia ſua continere: quemadmodum & tantam materiam apparauit, quantam regere, diſtinguere ac exornare poterat.*

*An vllam maiorem potuiſſet Origenes in Deum blaſphemiam proferre? qui & in ſancta Trinitate gradus excogitans, inde vult multitudinem deorum inducere; ac ipſam Dei potentiam circumſcriptam eſſe, monſtruoſe aſſerit. Hoc vero omni impietate plenum eius fabuloſitatis eſt dicere, omnia genera, ſpecieſque coæternas eſſe Deo: quodque rationabilia, quæ peccarunt, ac propterea de ſtatu ſuo exciderunt, pro proportione ſuorum peccatorum ſupplicij cauſa in corpora iniecta ſunt: ac expurgata rurſum aſſeruntur in priſtinum ſtatum, omni depoſita malitia: iterumque ac tertium & complūries diuerſis ad pœnam iniiciuntur corporibus. Ponit porro diuerſos conſtitiſſe & conſtare mundos tum præteritos, tum futuros. Et quiſnam adeo fatuus eſt, vt hæc audiens animo non exhorreſcat propter ſummam impietatem? Quis non execretur inſanum Origenem, qui huiuſmodi finxerit ac ſcriptis mandarit in Deum blaſphemias? quas vt omnibus Chriſtianis interdictas, manifeſtaque habentes impietatis argumenta, ſuperuacaneum duximus refutatione dignari.* XXXVI. ORIGENIS INSANIÆ ATQVE BLASPHEMIÆ.

*Quare ſi hæretici omnes ob vnius forſitan aut alterius dogmatis peruerſitatem è ſanctiſſima Eccleſia ſunt eiecti, ſubditique anathemati cum ſuis dogmatibus: quis prorſus Chriſtianorum ſuſtinebit Origenem, eiuſq; praua ſcripta tueri, qui tot blaſphemias dixerit, omnibus que fere hæreticis tantam exitij ac blaſphemiæ materiem præbuerit, ac idcirco pridem à ſanctis Patribus anathemati ſubiectus ſit vna cum ſceleratis eius dogmatibus? Nam quamuis concedat quis, Deo repugnantem Origenem ex veridica doctrina (quod & apud alios hæreticos inuenitur) aliquid expreſſiſſe * in improbis ſuis ſcriptis: ea ipſius propria non eſt, ſed ſanctæ Dei Eccleſiæ: atque hoc ille malitioſe in ſimpliciorum fraudem molitus eſt. Nam in Paganorum commentis enutritus, eaque propagare in animo habens, diuinas ſe vtique Scripturas interpretari ſimulauit: vt hoc modo nefariam doctrinam ſuam ſacrarum litterarum monumentis maligne admiſcens, Paganicum & Manichæicum errorem ſuum atque Arianam veſaniam induceret, eosq; qui ſacram Scripturam non accurate percepiſſent, ineſcare poſſet.* XXXVII. ORIGENES QVÆ SVNT PAGANORVM INTVLIT IN ECCLESIAM. * diſperſiſſe.

*Quid enim aliud expoſuit Origenes: quam Platonis, qui Paganorum inſaniam dilatarat, doctrinam? Aut à quo alio Arius mutuatus propria venena concinnauit, qui in exitium animæ ſuæ in ſancta & conſubſtantiali Trinitate gradus excogitauit? An hic à Manichæo abeſt, qui animas hominum dicit propter peccata corporibus ad ſupplicium immitti? Quique primum quidem mentes & ſanctas virtutes fuiſſe aſſerat, deinde contemplationis diuinæ ſatietatem cœpiſſe, ac in deterius conuerſas idcirco à Dei amore refrigiſſe; ſicque Græco nomine appellatas ψυχὰς ſupplicij cauſa corporibus eſſe inditas. quod vel ſolum ad eius damnationem ſatis erat, cum à Paganorum ortum ſit impietate. Cum enim dixerit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: ex eius vanis ſermonibus inuenitur ſolum corpus abſque anima ad imaginem & ſimilitudinem Dei factum eſſe, ſi omnino præexiſtebat anima, & facto corpore in id iniecta eſt, aut in id tamquam in vas immiſſa: ac neceſſe erit dicere, ipſum Deum opificem hominis eſſe, vtpote qui corpus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecerit. Quomodo autem corpus imago incorporei eſſe poſſit? Quamobrem abſit, vt his Chriſtiani aſſentiantur.* XXXVIII E PLATONIS SCHOLA ET A MANICHÆIS ORIGENES PLVRA.

*Si vero iuxta Origenis blaſphemiam animæ præexiſtebant, ac in pœnam peccatorum ſuorum in corpora demiſſa ſunt, vt emendatæ reſipiſcerent: eas oportebat amplius non peccare* XXXIX. DE PRÆEXISTEN-

TIA ANIMARVM ERROR ORIGENIS.

Nam ſi in ſupplicium datum eſt anima corpus propter peccata, vt doloribus emendaretur ad glorificandum Deum; quomodo tam allicit ad peccandum & corroborat corpus atque id * quod puniendum eſt? Vincula enim, carceres, compedes, ac (vt breuiter dicam) omnia huiuſmodi, iniurias & peccata eorum cohibent, quibus imponitur pœna: nec vt qui peccarit, amplius peccet, vincula ei adduntur, quæ ad peccandum adiuuent, ſed vt vinculorum cruciatu peccare deſiſtat. Quare perſpicuum eſt, non ad ſuperiorum peccatorum caſtigationem (vt illi nugantur) corporibus immiſſas eſſe animas, ſed ſimul Deum & corpus & animam, id eſt, perfectum hominem fabricatum eſſe. Itaq; eorum, quæ per corpus à nobis geſta ſunt, ſiue bonorum, ſiue malorum, retributionem expectamus. Hoc enim vobis tradit diuinus Apoſtolus Paulus, dicens: Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit: ſiue bonum, ſiue malum. Attendenda ergo ſunt Apoſtoli verba: nec enim dixit, Oportet recipere eum, qui iudicatur, prout geſſit, ante corpus. Si vero ob ea ſola, quæ per corpus homo geſſit, ab eo, qui terram iudicat, vel pœna afficitur, vel præmio, nullaque mentio ſit ante admiſſorum peccatorum: perſpicuum eſt animas ante corpora non eſſe: ſi enim præexiſterent, dixiſſet Apoſtolus, Geſta tum per corpus, tum ante corpus.

* ad id quod puniendum eſt.

XL. REDARGVITVR DEMENTIA ORIGINIS.

Animas vero hominum intelligentia & ratione vti inconfeſſo eſt: quod ne eos quidem negare putamus, qui tuentur Origenem. Dicant igitur, qui cum Origene ſentiunt, animæ ipſorum: ſiquidem (vt aſſeuerant) ante corpus fuerunt, quo in ordine aut quid agebant? Oportuit enim eas, ſi ante erant, ſcire, quo loco eſſent, aut quomodo huc adueniſſent. Si hoc nulla ratione poſſunt dicere (nam id verum non eſt) apertum eſt eos fabulas dicere. At fortaſſe dicant, animas, poſtquam corpora ingreſſæ ſunt, tum diſcernere poſſe & cognoſcere, quæ à ſe geruntur. Si hoc dicant: ex eorum inani diſputatione efficitur, vt corpus plus pretij atq; honoris, quam anima habeat, quod ei in beneficij loco det intelligentiam & rationem: atqui hoc aſſerere, plenum dementiæ eſt atque abſurditatis. Cur vero ſi anima (vt aiunt) ante fuit, quam corpus, diſciplina indiget, poſtquam in corpus venit, paulatimque inſtituitur, & ad meliora, perfectioraque progreditur? nam ſi ante exiſteret, vt illa vtique cognoſceret, nec vlla egeret doctrina: nec vtpote in cognitione verſans, cura & diligentia erudiretur. At ſi quid ſit oſtendere ſciebat; non edoceretur, quod ante ſciuiſſet. Iam vero ſi edoceretur, vt in ignoratione verſans, prius neſciebat: ſi non præſciuit, ante non fuit: verum enim vero numquam antea fuit.

XLI. HOMINIS VERA ORIGO.

Ortus enim noſtri ſolus Deus in cauſa eſt: vt nos cum non eſſemus fecit, ſic natos gratia manuq; propria tuetur ac ſaluat, ſi digni ac idonei perhibeamur. Nam Deus, qui dixit: Faciamus hominem ad imaginem noſtram & ſimilitudinem: vtraq; ſimul fecit, id eſt, corpus plaſmauit, & animam intelligentem & rationalem creauit: vna enim & effinxit corpus, & animam immiſit, perfectum hominem exhibens: neque enim homo corpus eſt ſine anima, nec anima ſine corpore. Si enim anima præexiſtebat (vt delirat Origenes) cuius rei gratia ſanctiſſimus Propheta Zacharias a dixit: Fingens ſpiritum hominis in eo. Iam vero cum dicit Propheta, Fingens, oſtendit, vt corpus, ſic animam non præexiſtentem Deum propria virtute & bonitate feciſſe. Quod igitur homo (ſicut dictum eſt) ad imaginem & ſimilitudinem Dei ſit factus, dignatuſque inſpirationis diuinæ, inde perſpicuum eſt, non ſolum intelligentem & rationalem animam, ſed etiam immortalem eſſe creatam, vt omnibus iis, quæ in terra facta ſunt, imperaret. Hoc eſt enim, quod à Theologo Gregorio dictum eſt, à Deo eſſe, & diuinam, ac ſupernæ nobilitatis participem: non vt nonnulli antumant ac dicunt, diuina ſubſtantia animam eſſe, ſed inſpiratione Dei factam, gratiamq; natam ab eo, vt intelligens eſſet, & rationalis & immortalis, nec vna cum corpore moreretur more irrationabilium animalium, ſed per gratiam participaret ſupernæ nobilitatis, id eſt, immortalitatis. Huic teſtimonium perhibet S. Ioannes Conſtantinopoleos Patriarcha in vndecimo ſermone in Creationem; ſic enim ait: Et inſufflauit (inquit) in faciem eius ſpiraculum vitæ, & fuit homo in animam viuentem. Hæc nonnulli imperiti homines propriis cogitationibus moti, ac nihil Deo decens in mente habentes, nec condeſcenſionem verborum reputantes, dicere audent, è Dei ſubſtantia eſſe animam. O inſaniam! ô dementiam! Atq; hæc quidem, Pater, de argumento propoſito.

a Zach. 12.

Conſidera autem de aliis omnibus in terra factis dixiſſe Deum: Fiat, & Educat terra, & factum eſt. De homine autem dicit: Faciamus: non ſolum Faciamus, ſed, Ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Et ſumens puluerem de terra, propriis manibus hominem finxit, & inſufflauit in faciem eius ſpiritum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. Ex huiuſmodi perſpicue patet, vt Deus hominem faceret honorabiliorem ac pretioſiorem omnibus aliis, quæ in terra ſunt, creaturis: alia quidem omnia fecit verbo: Dixit & facta ſunt: hominem vero (ſicut dictum eſt) propriis ipſe manibus iuxta diuinam Scripturam fecit. Quæcumq; autem ab eo in terra facta ſunt, ſubdidit homini, qui ſexto factus eſt die: vt omnibus terrenis creaturis iam factis ac ipſi præparatis dominaretur ipſe Dominatori ſuo obediens imperio.

XLII. VNIVERSI CREATIO VT SIT FACTA.

Hoc & nos docet S. Theologus Gregorius in oratione in Nouam Dominicam, ſic enim dicit: Ita aliquid primum in diebus numeratur & ſecundum & tertium ac deinceps vſq; ad ſeptimam diem, quæ requies fuit ab operibus: quibus diebus diſpertiuntur ea, quæ ſunt ineffabili ratione diſpoſita, non conſertim edita Verbo rerum omnium potente, cuius & cogitare & dicere, rem ipſam eſt præſtare. Quod ſi poſtremus homo deſignatus eſt, atque manu Dei & imagine honoratus: nihil mirum: ei enim tamquam Regi oportuit prius regiam aulam ſubſiſtere, ac deinde Regem induci, omnium iam quaſi ſatellitio ſtipatum ac munitum. Quamobrem ſi ex Gregorij Theologi doctrina vltimus homo eſt deſignatus, iiq; Dei manu & imagine honoratus, ac omnia à Deo ei præparata ſunt, ac ei tamquam Regi prius ſubſunt palatia, ſicque à Deo introductus eſt omnium iam ſtipatus obſequio: quomodo dicunt, qui iuxta Origenem deſipiunt, præexiſtentes animas propter peccata in corpora dimitti: prius commiſſa luituras? Contra enim S. Gregorius poſtremum omnium hominem factum eſſe dicit & à Deo honoratum, & iis omnibus, quæ in terra ſunt, dominari, quod ſane pœna non eſt, ſed ſingularis prouidentiæ ac beneficij ſignificatio.

XLIII. EX PATRVM SENTENTIIS ASSERITVR VERITAS.

Theologo porro Gregorio conſentit S. Ioannis Conſtantinopoleos Patriarcha doctrinam in 11. ſermone de Creatione. ſic enim dicit: At fortaſſe dicat aliquis: Cur nam, ſi anima præſtantior eſt corpore quod inferius eſt, prius ſit, ac deinum quod maius eſt ac nobilius? An non vides, dilecte, in ipſa creatione idem hoc factum eſſe? Quemadmodum enim cælum & terra, & Sol & Luna, cæteraq; omnia fabricata ſunt, ac poſtremum homo, cui eorum imperium mandandum fuerat: ſic in plaſmatione hominis prius formatur corpus, tum anima, quæ honorabilior eſt. Nam vt expertia rationis, quæ ad vtilitatem & obſequium parabantur, ante hominem extitere, vt parata miniſteria haberet, qui futurus erat eorum commodis frui: ita corpus ante animam fabricatum eſt, vt cum iuxta occultam Dei ſapientiam anima induceretur, propria officia poſſet motu corporis exequi. Atq; hæc ſatis ad oſtendendum audientibus nos vbiq; eadem ſentire & dicere, quæ Patres, qui animarum præexiſtentiam tollunt.

XLIV.

Præterea cum ſancta Scriptura de Adam atq; Eua dicat: Benedixit eos Deus, & dixit: Creſcite & multiplicamini, & replete terram & dominamini ei: quomodo igitur, ſi animæ antiquiores fuere corporibus, futurum fuit, vt creſcerent ac multiplicarentur, quæ ante (iuxta eorum fabulas) erant? Et quomodo habebat Deus benedicere animas iam in peccata lapſas ad creſcendum & multiplicandum. Animæ enim peccatis contaminatæ maledictione potius, quam benedictione dignæ erant. At ſi animæ præexiſtebant, & iuxta Origenis fabulas in alio erant ordine: quamobrem ſolum Adam plaſmauit Deus? An vero Adam anima tum ſola peccarat, ac propterea vnum corpus à Deo fabricatum? Si enim antea aliæ animæ fuerant, alia corpora ſimul fabricari oportuit, quæ ſuſciperent animas. Et quomodo peccatrix (vt eorum eſt ratio) anima ſupplicij cauſa in corpus coniecta in paradiſum deliciarum à Deo poſita eſt? Nam ſi vt pœnas penderet, in corpus eſſet miſſa: non in illo paradiſo, ſed in ſupplicij loco collocaretur. Tantopere vero dilexit hominem Deus, quem poſtremus fabricauerat, vt cum ille tranſgreſſus eſſet datum ſibi præceptum, ac idcirco à paradiſo eſſet expulſus: creſcente hominum genere, gliſcente peccato, quod cogitatio hominis ad deteriora prauo ſtudio incumberet: figmentum ſuum Deus, vtpote bonus non neglexit, ſed multimodis reprehendit & caſtigauit, ſicut S. Scriptura ſignificat.

XLV. EX DIVINA SCRIPTVRA ERROR REDARGVITVR.

Poſtquam vero ob grauiores morbos maiore medicina indiguimus: ipſum Vnigenitu Dei Verbum, vnus, id eſt, vna perſona S. Trinita-

XLVI. DE VERBI INCARNATIONE DOCTRINA.

nitatis propter benignitatem ſuam homo fit, manens Deus, nec diuina ſua ſubſtantia in humanam conuerſa, nec humana in diuinam mutata, vnumque eſt acidem in vtraque natura, in singulis inconfuſè atque indiuiſè cognoſcitur. Manens enim quod erat factum eſt quod non erat, mortemque nobis debitam ex tranſgreſſione damnatione & propria carne ſuſcipiens, æterna nos morte liberauit primitiæ dormientium factus, ac primogenitus reſurgens ex mortuis conſuſcitauit nos & conſedere fecit in cœleſtibus, quemadmodum nos docet traditio Apoſtolica. Quum enim à principio humana natura propter obedientiam priuata paradiſo eſſet: tamen (vt eſt dictum) Vnigenitus Dei filius propter multam charitatem ſuam, qua dilexit nos: naturam nostram ſue mens indiuiſè ſecundum ſubſiſtentiam in vtero ſanctæ gloriosæ ſemperque Virginis Mariæ, mater nos dignatus eſt gratia gratificatus nobis regnum cœlorum. Atq; his teſtimonium perhibet S. Ioannes Conſtantinopoleos Patriarcha in ſermone de Aſcenſione, ſic dicens: Qui terra indigni extiteramus, ſumpus & in cælum ſubuehi. Qui ne inferiore quidem imperio fueramus digni, ad regnum ſupernum conſcendimus ſupergreſſi cælos, regiſque ſolium adepti. Natura, propter quam Cherubim paradiſum cuſtodiebat, ipſa ſupra Cherubim hodie ſedet.

XLVII. Quamobrem demonſtratum eſt, animas non (vt Origenes nugatur) in cælo prius fuiſſe, ac deinde in corpora miſſas, vt perpetratorum peccatorum pœnas exſoluerent, ſed contra in terra fabricatam vniuerſam naturam humanam, bonitate ac benignitate diuina cælos adeptam eſſe, vt qui homines mandata Dei cuſtodirent ac implerent, Angelorum in cælis conuerſatione digni haberentur, quos in in terra imitari per confeſſionem in Deum iuſſi fuimus. Nam cum vellet Deus propter inenarrabilem bonitatem ſuam, ſicut in cælis à ſanctis virtutibus glorificatur, ita in terra glorificari ab hominibus: fabricatus eſt hominem, alterum Angelum in terris, vt Dei gloria omnia complerentur. Itaq; Dominus dans nobis orandi præceptum, dixit: Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra.

XLVIII. Cum his porro quæ à nobis dicta ſunt, conueniunt, quæ ſanctus Gregorius Theologus docet in ſermone de ſancto Paſchate: ſic enim dicit: Cum hanc rem Verbum artifex demonſtrare vellet, etiam animal ex vtriſque, natura videlicet viſibili & inuiſibili, hominem fabricatur, ſumptoque corpore è materia, quæ ante ſubſiſtebat, ac à ſe ipſo vitam[*] indens, quod vtique animum intelligentem & imaginem Dei eſſe ratio nouit[*], veluti quendam alterum mundum, in paruo magnum conſtituit in terra, alium Angelum promiſcuum adoratorem, contemplatorem viſibilis naturæ, ſtudioſumque eius, quæ tota mente comprehenditur. Quare attendendum eſt, Patrem hunc, cum diceret, Deum ex vtriſque feciſſe hominem, addidiſſe, è prius ſubſiſtente materia corpus ſumptum, non dixiſſe vero prius extitiſſe animam, nec ex vlla ſubſtantia natam, quæ ante exiſteret; ſed Deum per ſeipſum vitam indidiſſe, quod animam eſſe intelligentem & Dei imaginem nouit ratio. Quod autem dicit Pater, Deum feciſſe hominem in terra ſuperno obſtrictum imperio, euertit eorum rationem, qui ad pœnam animas immiſſas corporibus dicunt. Nam in terra regnare, ſoliuſque Dei teneri imperio, non in ſupplicij loco ducendum eſt, ſed in magno beneficio ac munere Dei.

XLIX. Adhæc illud nobis neceſſario dicendum exiſtimamus in eos, qui præexiſtentiam aſſerunt: Si verum eſſet prius animas eſſe, quam corpora: cognoſcerent ac recordarentur, quæ ante geſſiſſent, quam in corpora venirent: quemadmodum poſt obitum ſciunt & norunt quæ in corporibus egere. Demonſtrabimus autem animam poſt diſceſſum è vita cognoſcere, quæ geſſit, ex ipſis Euangelij verbis: Dixit enim Dominus noſter & Saluator Chriſtus in Euangelio ſecundum Lucam, in pericopa Lazari & diuitis a: Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ante ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis: ſed & canes veniebant & lingebant vlcera eius. Factum eſt autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt: in inferno autem eleuans oculos ſuos, cum eſſet in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in ſinu eius. Et ipſe clamans dixit: Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, qui intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris: & in his omnibus inter nos & vos magnum chaos firmatum eſt: vt ſi qui velint hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare. Et ait: rogo te, Pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. Quamobrem pudeat eos, qui tuentur Origenem, vel ex ſancti Euangelij verbis. Si enim animæ, antequam corpora fuiſſent, cognoſcerent ea, quæ ante corpus feciſſent, quemadmodum poſt migrationem è vita reminiſcuntur ea, quæ in corpore geſſerunt: hoc enim è verbis Euangelij didicimus.

Quod autem & ſancti Patres ſequentes inſpiratas diuinitus Scripturas talem doctrinam condemnarunt vna cum Origene, qui ea commentus eſt; iam quidem ex iis, quæ ſancti Patres dixerunt, aperte oſtendimus: nihilo tamen ſecius & ex inſequentibus Patrum teſtimoniis ſumus demonſtraturi. Ac primum ſanctum Petrum, qui Epiſcopus Alexandriæ & martyr fuit, præponemus teſtimonium nobis his ſermonibus perhibentem. L.

Sancti Petri Epiſcopi Alexandrini & martyris ex primo ſermone.

LI. PETRI MARTYRIS TESTIMONIVM.

Quod nec præextitit anima, nec cum peccaſſet, propterea in corpus miſſa eſt: diximus, quædam de primis è terra terreno homine proponenda, vt demonſtretur vnum & eundem in tempore eſſe factum, quamuis particulariter nonnunquam interior & exterior homo dicatur. Nam etſi ſecundum ſalutarem ſermonem, qui interiora fecit, exteriora quoque fecit; tamen ſemel & eodem tempore, id eſt, ea die, cum dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Ex quo perſpicuum eſt, non ex congreſſu, quaſi aliquid aliud anteceſſerit & ex alio loco venerit, factum eſſe. Nam ſi congreſſus fuit, quamobrem ſcriptum eſt, quodnam factum fuerat? Et poſt alia: Itaque non capit, ante corpora in cœlo peccare animas, quæ prorſus nec ante corpora quidem ſubſtiterunt. hæc enim doctrina à paganorum philoſophia eſt, quæ peregrina eſt, & ab iis aliena, qui pie in Chriſto volunt viuere.

Eiuſdem in Myſtagogia, quam fecit ad Eccleſiam, cum martyrii coronam ſuſcepturus eſſet.

LII. Propterea obſecro, vigilate: Afflictionem enim rurſum aditurus eſtis. Scitis, quot ſubierit pericula, qui me enutriuit pater meus & Epiſcopus Theonas ab iis, qui in idola inſanierunt: in cuius ego ſedem ſucceſſi, vtinam etiam in mores. Scitis, vt magnus ſe geſſerit Dionyſius, qui ſe è locis in loca abdebat, cum inſuper Sabellius affligeret: Quid porro dicam Heraclam & Demetrium beatos Epiſcopos? quales tentationes ſuſtinuerunt ab inſano Origene, cum ipſe diſſidia in Eccleſia ſereret, quæ ad hunc vſque diem ei turbas excitauerunt? An igitur turpe eſt aliquem bene ſentientium iis aduerſari, quæ in Origenem dicta ſunt à ſancto martyre & Epiſcopo Alexandriæ Petro, qui egregium pro Chriſto certamen ſuſcipiens, non ſolum Origenem, ſceleratamq; eius doctrinam abdicauit, ſed etiam teſtificatur, ſanctos, qui ante ipſum fuerunt, Patres, multas ſuſtinuiſſe tentationes ab illius dementia?

LIII. ATHANASII TESTIMONIVM IN VITA S. ANTONII.

Dixit quoque ſanctus Athanaſius, qui & ipſe Epiſcopus fuit Alexandriæ, in ſermone de beati Antonij vita: Quomodo nos irridere audetis, qui dicamus Chriſtum hominem manifeſtatum eſſe: cum & vos dementem animam eſſe definientes, eam erraſſe dicatis, ac de apſide cœli in corpus deſcendiſſe? Attendant, qui audiunt ſanctum Athanaſium iis aperte aduerſari, qui mentem præexiſtere dicunt, & ex ea animam ortam peccando ſe contaminaſſe, ac è cœli connexo in corpus deſcendiſſe.

Eiuſdem ſancti Athanaſii è ſermone ſecundo contra Arianos.

LV. Omnis creatura aſpectabilis, in ſex diebus facta eſt: ac primo quidem die lux, quam vocauit diem, ſecundo autem firmamentum, tertio collectis aquis oſtendit aridam, variaſque in ea produxit fructus, quarto fecit cœlum & Lunam, omnemq; ſtellarum chorum, quinto maris natatilium, aeriſq; volatilium generationem condidit, ſexto fecit in terra quadrupedes, ac de cætero hominem, qui ex anima rationali eſt & corpore. Ac inuiſibilia cum à creatione mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ac neque lux eſt vt nox, neq; Sol vt Luna, neq; irrationabilia vt homo rationabilis eſt, neq; Angeli ſicut Throni, neq; hi vt poteſtates: ſed creatura quidē omnes ſunt, vnumquodq; autem eorū, quæ orta ſunt ſecundū genus in propria ſubſtantia. vt factum eſt,

perſiſtit ac manet. Eſt ſanctus quoque Athanaſium tradit, poſt omnes creaturas Deum feciſſe hominem ex corpore & anima intelligente ac rationali. Neque enim dixit corpus poſt omnia factum eſſe, vt præexiſtens anima in id ingrederetur: ſed dixit, poſt omnes creaturas hominem eſſe factum, qui ex anima rationali eſt & corpore: oſtendens vtraque, id eſt, corpus & animam Deum ſimul fabricatum eſſe.

LV. De Chriſti anima delirium Origenis.

Quoniam autem Origenes ad cæteras blaſphemias hoc adiunxit, Domini animam prius exiſtiſſe, eique Deum verbum eſſe vnitum, antequam è Virgine incarnaretur: hoc deliramentum euertens ipſe ſanctus Athanaſius in epiſtola ad Epictetum, ſic dicit: Meritò ſeſe damnabunt omnes, qui exiſtimant ante Mariam eſſe carnem quæ ex ea eſt, ac ante eam habuiſſe animam humanam Deum Verbum, ac in ea ante aduentum ſemper fuiſſe. Quare ſi ex iis, quæ à ſancto Athanaſio dicta ſunt, anima Domini noſtri Ieſu Chriſti qui per omnia nobis ſimilis factus eſt abſque peccato, non fuit ante eius in carne aduentum: qualis inſania eſt dicere alias hominum animas ante corpora eſſe?

LVI. Ex S. Baſilio teſtimonium.

Audiamus præterea ſanctum Baſilium in ſermone in illud, In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, ita dicentem: Vide, ne quando te vocis ambiguitas fallat. Quomodo enim in principio erat humana ratio, cum homo deorſum principium generationis acceperit? Ante hominem fuere beſtiæ, ante hominem iumenta, reptilia tum terreſtria, tum aquatilia, volatilia cœli, ſtellæ, Sol, Luna, herba, terra, mare, cœlum. Ecce Pater aperte nobis denunciat ne Origenis fabulis de animarum præexiſtentia inducamur. Docet enim nos, non in principio fuiſſe humanam rationem, id eſt, animam; ſed aperte clamat, omnibus Dei creaturarum hominis poſteriorem eſſe. Si ergo creatura omnes ante hominem, qui eſt anima & corpus, dicit omnia fuiſſe: ex hoc oſtenditur ſimul vtrumque fabricatum eſſe.

LVII. Ex Gregorio Nyſſeno.

Dicit autem ſanctus Gregorius Epiſcopus Nyſſæ in diſputatione de homine. At fortaſſe alienum non eſt à diſputationis noſtræ propoſito, id expendere, quod in Eccleſiis de anima & corpore controuerſum eſt. Nonnullis enim, qui ante nos fuerunt, placet iis, qui περὶ ἀρχῶν diſſeruerunt, animas veluti quemdam populum in propria vrbe ante ſubſtitiſſe, atque ibi propoſita eſſe exempla tum virtutis, tum malitiæ; eamque animam, quæ in virtute atque honeſtate permanſerit: congreſſum & conſtrictionem corporis minime experiri: ſi vero à boni participatione defluxerit, hanc in vitam dilabi,* ſicque eſſe in corpore. Alij attendentes ex Moyſe condendi hominis ordinem, animam corpori ſecundam tempore eſſe dicunt: quandoquidem primum Deus limum è terra ſumens finxit hominem, ac eum deinde inſpiratione animauit. At paulo poſt. Qui primam rationem tuentur, & animarum quaſi ciuitatem antiquiorem vita corporea aſſerunt, non mihi videntur carere Paganorum fabulis, quæ de metempſychoſi prodita ſunt. Si quis enim ſubtiliter examinet, comperiet neceſſario rationem eorum deuolui. Aiunt quemdam ſolita ſua prudentium dixiſſe, & virum fuiſſe ſe, & muliebre corpus induiſſe, & ſubuolaſſe cum auibus, & fuiſſe arbuſculam, & aquatilem vitam ſortitum. Non longe, meo quidem iudicio, à vero diſcedit, qui hæc de ſe affirmat. vere enim ranarum aut graculorum garrulo ſtrepitu vel irrationabilitate piſcium, vel arborum inſenſibilitate eiuſmodi diſciplina digna eſt, quæ tot res permeare vnam animam dicat. Harum autem ineptiarum hæc cauſa eſt, quod præexiſtere animas, opinio ſit. Conſequenter enim talis doctrinæ principium ad affinia & ad adiuncta progrediens, huiuſque commenta ſua propagat. Nam ſi per vitia animus è ſublimiori vita abſtractus homo ſit; ac ſi in confeſſo eſt vitam corpoream paſſionibus magis obnoxiam eſſe, quam æternam ac incorpoream: neceſſe eſt animam in hac vita degentem, in qua plures facultates ad peccandum ſuppetunt, in pluribus verſari vitiis, magiſque paſſionibus affici. Animæ autem humanæ paſſio ſimilitudo eſt ad irrationabilia: huic ergo vitæ deuincta anima in beſtiarum naturam delaberur, ac ſemel vitia ingreſſa, in quæ irrationabilitate verſans, nullum finem ad malitiam progrediendi faciet: vbi enim malitia ſiſtitur, ſuccedit impetus ad virtutem, Atqui virtus in rationabilibus nulla eſt: in deterius ergo neceſſario mutabitur, aſſidue ad priora, turpioraque progrediens, eiuſque naturæ, in qua eſt, deteriora quæque ſemper comminiſcens.

* delabi

LXIII. Ab abſurdo Origenes redarguitur.

Porro quemadmodum rationabili ſenſibile ſubiacet, ſic ab illo prolapſio eſt. Quamobrem huc ratio eorum euadens à veritate aberrat, & per quamdam conſequentiam ex abſurdis ad abſurda ſe confert. Exinde eorum doctrina per ea, quæ inter ſe non cohærent, fabuloſe procedit. Conſequentia vero ipſa oſtendit omnimodam animæ corruptelam. Quæ enim ſemel à ſublimi vita decedit, nullum modum ſtatuit malitiæ ſuæ, ſed propter paſſionum conſuetudinem atque habitum à rationabili ad irrationabile deuenies: itaque in ſtirpium inſenſibilitatem mutabitur. Inſenſibili autem inanimum eſt conſequens, inanimo id, quod non ſubſiſtit. Itaque penitus ex hac conſequentia anima ipſis ad non ens tandem concedet: ſi nullam facultatem habitura eſt ad meliora redeundi. Verum enim vero ad hominem è fruti e animam reducunt. Igitur præſtantiorem demonſtrant eſſe vitam in frutice, quam incorpoream vitam. Iam enim oſtenſum eſt progreſſum animæ ad deteriora, atque idcirco in inferiora eſſe. Subiacet autem inſenſibili natura inanimatum, quo per conſequentiam principium eorum doctrinæ animam redegit. Sed quoniam hoc nolunt, aut inſenſibili animam concludunt, aut ſi inde ad humanam vitam eam reducunt, eam vitam, quæ in ſtirpe ducatur (vt dictum eſt) oſtendunt antecellere primo animarum ſtatui; ſiquidem inde ad malitiam fuit prolapſio, hinc vero ad virtutem eſt reditus. Quamobrem illa ratio conuincitur eſſe ſine capite, ſine fine, quæ viuere animas ante corpoream vitam aſſequitas, propterque flagitia corporibus eſſe deuinctas. hæc Nyſſenus.

LIX. Ex Theophilo teſtimonium de Anaſtaſio Papa.

Cum igitur aperta ſit Patris huius doctrina, damnet que eos, qui dicunt animas ante corpora fuiſſe: audiamus & ſanctum Theophilum Epiſcopum Alexandriæ in ſermone ad quoſdam monachos ſcripto, qui Origeni aſſentirentur: ſic enim dixit: Quare anathematizantes Origenem, cæteroſque hæreticos, exemplo noſtro, & Anaſtaſii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi; qui ex veteribus certaminibus clarus, nobiliſſimi populi dux creatus eſt: quem & vniuerſa beatorum Occidentis Epiſcoporum ſequitur Synodus, quæ accepit ac probauit Alexandrinorum Eccleſiæ ſententiam in impium latam.

Eiuſdem Theophili de epiſtola ad Sanctos, qui in Sceto eſſent; propter eos, qui incuſarent damnationem Origenis doctrinæ.

LX.

Dicere nonnulli auſi ſunt, Origenem Eccleſiæ doctorem. Iam hi, obſecro, ferendi ſunt? An Eccleſiæ doctor eſt Origenes? Magnos ſibi ſpiritus ſumunt Ariani & Eunomiani & Pagani: illi in Filium & Spiritum ſanctum blaſphemantes; hi ſimiliter atque illi impij, reſurrectionem mortuorum deridentes. Ex his perſpicuum eſt, eum qui ſanctos Patres ſequitur, non dubitare, quin hi, qui cum Origene ſentiunt, Paganorum errorem, Arianorumque inſaniam ſequantur.

LXI. Ex Cyrillo Alexandrino.

Hæc quoque S. Cyrillus dedit Alexandriæ Epiſcopus in epiſtola ad monachos, qui in Phua, in eos, qui aſſirmant corporum reſurrectionem non eſſe: Aiunt igitur nonnulli eſſe, qui negent humanorum corporum reſurrectionem, quæ pars confeſſionis noſtræ eſt, quam facimus ſalutare adeuntes baptiſma: fidem enim profitentes adiungimus, credere nos carnis reſurrectionem. Si hoc tollimus, nec credimus Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, & nos ſibi conreſuſcitaturum: claudicantem habemus fidem, ac à via regia deflectentes, prauum iter habemus. Huiuſmodi autem opinio ab improbi Origenis dementia eſt, quem & Patres noſtri vt veri deprauatorem abdicauerunt & anathematizarunt. Non enim ſequitur vt Chriſtianus, ſed Paganorum ſecutus ineptias & nugas, in errorem incidit. Hinc autem ei contigit morbi principium: aſſeuerat animas ante corpora eſſe, & à ſanctimonia abductas fuiſſe in cupiditates & nequitiam, deſciuiſſeque à Deo, à quo hanc ob cauſam damnatæ ſunt & corpori obſtrictæ, ſuntque in carne tanquam in vinculis.

Eiuſdem ex epiſtola ſcripta ad eos, qui in Phua erant, monachos.

LXII.

Eccleſia vero Scripturis obſequens à Deo inſpiratis, nec animam nouit ante corpora fuiſſe, nec antea peccaſſe. Quomodo enim, quæ non ſubſiſtebat, peccare potuit? At nos affirmamus, vniuerſitatis opificem corpus è terra finxiſſe, idque animaſſe, intelligente anima: & hæc eſt hominis ſtructura. Et poſt alia: Animam hominis nec (vt aiunt) ob præterita flagitia atque ſcelera eſſe damnatam nec in hunc demiſſam mundum, ſanctiſſimus Paulus fidem facit, ita ſcribens: Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum. Cur ergo propter ſola propria corporis manifeſtari nos oportere ait, nec potius propter ea, quæ ante corpus, ſi animam ante fuiſſe natas, & ante

peccaſſe?

peccaſſ? Si vero ob ea ſola peccata, quæ in corpore deſignauimus, adducimur ad iudicium: non vtique habemus antiquius corpore peccatum: nam omnino ante id non conſtituit hominis anima. Hoc porro planum facit & legalis littera vt. Si enim (vt dicit errabundus Origenes) ob ſuperiora commiſſa, in ſupplicij ac pœnæ loco anima corpus accepit: quamobrem flagitioſis ac ſceleratis mortem comminata eſt? Magis enim oportuerat, bonos ac iuſtos viros mortem appetere vt vinculis & ſupplicio liberarentur; viuere contra ſceleſtos ac nefarios, vt pœna afficerentur, nec vlla vinculorum eſſet liberatio.

LXIII. Ex expoſitione Synodicæ epiſtolæ Epiſcoporum Ægypti atq; Alexandriæ aduerſus Origenis doctrinam.

Hic ergo de quo agitur Origenes, veluti abominationis deſolatio in media vera Eccleſia extitit, ac presbyter ordinatus, à catedra, ab vna, à vera manu dignitatem presbyteri nudam ac ſolam habuit, quemadmodum Apoſtolatus habuit honorem ſur ac proditor Iudas. Is enim cum cœpiſſet blaſphemas homilias habere, Heraclas beatæ memoriæ tunc Epiſcopus, vt ſtudioſus veritatis cultor & vinitor Eccleſiaſtici agri, eum è medio pulchræ ac lætæ ſegetis euulſit. Ac paulo poſt: Quare hic è cœlo in terram decidens tanquam fulgur, ſicut & eius pater diabolus, multa atrocique iracundia contra veritatem ſpirans, in Paleſtinam regionem nauigauit, moratuſq; in Cæſarienſium metropoli, eam LIX. perſonam, quam ſibi induerat, depoſuiſſet, ſeque aperuiſſet veluti ipſius quaſi pia apud quoſdam appellatur, ſignificans, quod ſibi voluptati erat, ac tenebricoſum & atrum vitæ venenum euomens, ubi ſcriptis expreſſit, & ſicut campo Iudaicus boni ſpecie ac ſimulatione dulci amarum miſcuit.

LXIV. Quid enim iſte prauæ moliens atque inſaniens dicit? Erat (inquit) anima ante corpus, & præexiſtebat in cœlis: eamque cum peccaſſet, in cuſtodiam immerſit Deus, id eſt, in corpus demiſit: ad purgationem (inquit) & caſtigationem admiſſorum in cœlo criminum. Hinc primum impiiſſimus protinus fabulatur, veritatemque oppugnare ſtudet. Ac paulo poſt: Si ante fuit anima in cœlis, ibique prius deliquit, vt male ſentit Origenes, LX. ſibique repugnans dicit: non oportuit dicere ſanctiſſimum Prophetam: Et figens ſpiritum hominis in ipſo, ſed potius, demergens quaſi vtrem ſpiritum hominis in ipſo. vel fortaſſe, demittens. Iam vero cum hoc non dicat ſed figens in ipſo, oſtenditur, hunc ſapientiſſimum eſſe, indutum extrinſecus, ouina pelle ad deceptionem perditionis. Venit enim è cœlo animam aſſerit deſcendiſſe, cæteraque, quæ ibi deſiniuit: quaſi aperte ſciat, non ſolum ante fuiſſe animam, ſed etiam ante peccaſſe. Quare demonſtratum eſt tum è diuina Scriptura, tum è ſanctis Patribus, nec LXI. vera Chriſtianorum fidei, nec rectæ rationi conuenire hæreticorum de animæ præexiſtentia imaginationes.

LXV. Præterea hoc quoque Origenis demonſtrat amentiam, quod affirmat, cœlum, & Solem & Lunam, & ſtellas, & aquas, quæ ſuper cœlos ſunt, animata eſſe, & quaſdam eſſe virtutes ratione vtentes. Hæc vero aperte refellit ſanctus Baſilius in tertio ſermone commentariorum in Hexameron, ſic contra Origenis doctrinam diſputans: Nobis porro de ſeparatis aquis dicendum eſt ad eos, qui ab Eccleſia exciderunt, qui ſub obtentu ſenſus anagogici, & ſublimiorum videlicet ſententiarum, ad allegoriam confugerunt, & aiunt, virtutes quaſdam ſpirituales & incorporeas tropicè ex aquis ſignificari, ac ſurſum quidem in firmamento manſiſſe meliores, deorſum vero in terreſtribus ſilueſtribuſque locis deteriores perſtitiſſe: ac idcirco aiunt, aquas, quæ ſupra cœlos ſunt, laudare Dominum, id eſt, bonas virtutes, quæ dignæ ſunt propter potioris partis puritatem, dicentes laudem reddere Creatori: aquas vero, quæ ſubter cœlos ſunt, ſpiritualia eſſe nequitiæ, quæ è naturali ſublimitate in malitiæ profundum deciderunt, eaque LXII. turbulenta & ſeditioſa, paſſionumque tumultibus fluctuantia, maria appellari propter facilem mutationem atq; inſtabilem voluntatem eorum motuum.

LXVI. At nos huiuſmodi rationes tanquam confuſa ſomnia & aniles fabulas repudiemus, aquamq; aquam eſſe cogitemus, ſeparationemq; a firmamento factam accipiamus ſecundum redditam rationem. At ſi quando ad communem vniuerſorum Domini glorificationem aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt, aſſumuntur; non propterea eas dicamus eſſe naturam ratione vtentem: nec enim cœli idcirco animati ſunt, quod enarrent gloriam Dei: nec firmamentum animal eſt præditum ſenſu, quoniam opera manuum eius annunciat. hæc Baſilius. Attendendum porro eſt, Patrem, cum Græce dixit, πρὸς τοὺς ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, de Origene diſſerere, qui à Dei gratia & à ſancta Dei Eccleſia expulſus fuerat, deque iis, qui cum illo ſentiunt: non enim dixit, πρὸς τοὺς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, id eſt, ad eos, qui in Eccleſia ſunt, ſed πρὸς τοὺς ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, quod ſignificat, ad eos, qui longe ſunt ab Eccleſia. Catholicos etiam ſignificaſſet, ſi dixiſſet, τοὺς τῆς ἐκκλησίας, id eſt, eos, qui ſunt Eccleſiæ: quoniam vero dixit, τοὺς ἀπὸ, ſignificauit eos, qui abſunt, & qui ab ea exciderunt. Vnum autem id ſolum impio Origeni ſtudium fuit, Paganorum errorem confirmare, & imbecillorum animis Zizania inſerere.

Quamobrem hoc quoque riſu dignum ab eo tamen dictum de hominum ex mortuis reſurrectione, corpora hominum orbiculata ſuſcitari. O dementiam atque inſcitiam hominis inſani, & Paganorum diſciplinæ explicatoris: qui mente cæcutiens, ſtudensq; Chriſtianorum fidei miſcere fabulas, ipſam Chriſtianorum ſpem ac ſalutem nixus eſt contumelia violare, ne reſurrectionem quidem Domini reueritus. Reſurgens enim Dominus ex mortuis, & primitiæ dormientium factus, diſcipulis viſus eſt, eiſque oſtendit foramina manuum ac pedum & plagam lateris; poſtque reſurrectionem comedit, non vt cibo indigens, ſed vt eo modo ſuſcitati corporis naturam confirmaret. Et quidem cum Dominus aſcenderet, Angelus ad diſcipulos dixit: Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. Quod ſi (vt inſanit Origenes) orbiculatum erat corpus Domini, quomodo potuit demonſtrare manuum ac pedum foramina, aut lateris plagam? aut quomodo comedere potuit, aut omnino à diſcipulis agnoſci? Et quonam modo Sanctorum corpora, quæ poſt Domini reſurrectionem ſurrexerunt, & in ſancta ciuitate apparuerunt, potuerunt ab aliis agnoſci, ſi quidem in alia erant figura, atque fuerant in vita? In fidei ergo petra nullo modo ſtabilitus, ſed huiuſmodi & his multo atrociores blaſphemias impius Origenes cum edidiſſet; nihil mirum eſt, eum in ipſo martyrij articulo Chriſtum abnegaſſe, cultamque à Paganis deorum multitudinem, quam ipſe inducit, adoraſſe. LXVII. DE CORPORIBVS ORBICVLATIS IN RESVRRECTIONE.

LXVIII. DE ORIGENIS APOSTASIA. Atque id Dei prouidentia factum eſt, ne in Eccleſia pro martyre acciperetur, atque inde gregi Chriſtiano inferretur aliquid detrimenti. Nam ſi etiam nunc ſunt, qui de eius quidem ruina confiteantur, doctrinam vero aſſerant: an non eam tanquam martyris ac patris erant defenſuri, ſi contigiſſet eum, nulla idolis exhibita adoratione, conſummari? Nemo enim veritatis tenax excidit à Deo, ab eoque deſeritur, iuxta quod dicit diuina Scriptura a: Reſpicite filij nationes hominum, & ſcietis, quia nullus ſperauit in Domino & confuſus eſt. Quis enim permanſit in mandatis eius & derelictus eſt? Aut quis inuocauit eum & deſpexit illum? Impius autem Origenes blaſphemias ſuas non ſe ipſo tenus ſtatuit, ſed propriis ſcriptis in multos alios ſuum errorem tranſmiſit: vt in eum valde conueniat ſancti Apoſtoli vox, quæ dicit b: Quorumdam hominum peccata manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium, quoſdam autem & ſubſequuntur. Nam eius erroris ſucceſſio in infirmorum irrepens animos facit, vt eum ſequantur, quæ à principio ab ipſo commiſſa peccata ſunt.

a Eccl. 2.

b 1. Tim. 5.

LXIX. DE DAMNATIS ALIQVANDO SALVANDIS ERROR. Quaſi enim iis, qui Origenis placita ſequuntur, non ſatis ſit de præexiſtentia animarum impietas, cæteraque eius vaniloquentia, blaſphemiaque de ſancta Trinitate; hoc quoque proprio errori adiungunt, ducem & auctorem habentes peruerſam eius diſciplinam, vt dicant omnium impiorum hominum, ac præterea dæmonum pœnam finem habituram eſſe, reſtitutumque iri tum impios homines, tum dæmones in priſtinum ordinem ſuum. Hæc cum dicunt, ignauos homines efficiunt in Dei præceptis exequendis, eos auertentes ab anguſta & arcta via, inque lata ac ſpatioſa errorem inducentes. Omnino autem aduerſantur magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti dictis: Ipſe enim in ſancto Euangelio docet, impios quidem ituros in ſupplicium æternum, iuſtos vero in æternam vitam. Rurſumq; dicit iis, qui à dextris ſunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi, iis vero, qui à ſiniſtris: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius.

LXX. Cum igitur aperte Dominus in ſancto Euangelio indeſinens & ſupplicium & regnum denunciet: perſpicuum eſt hos Origenis deliramenta ſententiis Domini anteferre. Ex hoc quoque illorum amentia redarguitur: Si quis iuxta illius nugas pœnæ ſupplicium definitum: neceſſe eſt hunc & promiſſa iuſtis vitæ

æterna

TAM PŒNA DAMNATORVM QVAM VITA BEATORVM ÆTERNA. æternæ ſtatuere finem: æque enim in vtroque æternum ponitur. Si autem & pœna & fruitio gloriæ habet finem, cur incarnatio fuit Domini noſtri Ieſu Chriſti cui crucifixio & mors & ſepultura & reſurrectio Domini? Quod commodum ijs, qui bonum certamen certauerunt, & pro Chriſto martyrium ſubierunt, ſi & dæmones & homines impij eundem, quem Sancti ordinem redintegratione habituri ſunt? Verum hæc in eorum capita vertant, qui hæc fabulantur: nam Chriſti verba in fidelium mentibus inconcuſſa manent atque in ipſa rerum veritate.

LXXI. Qui porro Origenis improbam opinionem tuentur, firma hæc argumenta fugientes, ſuumque conantes tegere errorem, quædam ſanctorum Patrum dicta male excipientes praueque ex ſententia ſua interpretantes, proprio morbo accommodant: quod etiam cum diuinis faciunt Scripturis. Nos autem ex ipſis ſanctis Patribus oſtendemus inanes ac futiles eorum rationes eſſe. Hæc igitur ſcribit S. Gregorius Theologus in Apologetica oratione: Nobis vero, quibus periclitatur ſalus animæ beatæ atq; immortalis, quæque ſempiternam aditura eſt vel pœnam, vel laudem propter malitiam aut virtutem, quanti faciendum eſt hoc certamen, aut quanta ſcientia opus eſt!

Eiuſdem ex oratione de plaga grandinis.

LXXII. Quæ falſa defenſione, quæ perſuaſione artificioſa, quonam commento veritatem oppugnantis circumuenietur im, ac fallitur rectum iudicium; quod omnibus omnia in ſtatera ponit, facta, dicta, cogitationeſque omnes, ac nequiter commiſſa melioribus repenſat, vt vincat, quod propendet, ſententiaque ſecundum plura dicatur, quam nulla excipiat prouocatio, non ſuperior iudex, non defenſio aliorum* factorum, non oleum vel à prudentibus virginibus ſumptum, vel ab ijs, qui deficientibus lampadibus vendunt, non pœnitentia diuitis qui flamma cruciatur, ſuorumque neceſſariorum quærat emendationem, non ad mutationem præſinita dies: ſed certum ac ſtabile ius & formidoloſum & vltimum, & æquum iuſtumque, quam quantus eſt terror, quinimmo propter iuſtitiam terribile, cum throni ponuntur, & antiquus dierum ſedet, & libri aperiuntur, & fluuius igneus trahitur, & lux ante ipſum & tenebræ paratæ:* & eunt qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, quæ nunc in Chriſto abſconditur, poſtmodum vero cum eo apparet: qui vero mala egerunt in reſurrectionem iudicij, quo qui non credunt, iam iudicati, damnatique ſunt à Verbo, quod eos iudicauit: ac alios quidem lux ineffabilis excipit, & ſanctæ regnantiſque Trinitatis gratia, apertius puriuſque effulgentis, ac totam ſe toti menti inferentis: quod vtique ſolum regnum cælorum eſſe duco: alia vero vna cum aliis malis tormenta, vel potius ante alia proiectum eſſe à Deo, & conſcientiæ turpitudo & verecundia nullum finem habens.

* alterorū

* pariter

Baſilii Epiſcopi Cæſareæ, ex eius libro Regularum. Interrogatio:

LXXIII. EX S. BASILIO ORIGENES ARGVITVR. Si tum dicit, vapulabit multis, tum paucis, quo pacto quidam dicunt, nullum finem ſupplicij fore iis, qui pœna afficientur? Reſponſio: Quæ ambigua ſunt ac videntur obſcure eſſe dicta, quibuſdam locis diuinitus inſpiratæ Scripturæ alibi ab aliis, quæ confeſſa & aperta ſunt, declarantur. Cum ergo Dominus pronunciarit: Ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam: & alicubi: Mittite eos in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius; atque ita nominet gehennam ignis: vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur: ac rurſum per Prophetam de quibuſdam prædixerit: Vermis eorum non morietur & ignis eorum non extinguetur: Cum hæc & huiuſmodi ſæpe à diuinitus inſpirata Scriptura proponantur, hæc quoque eſt diaboli artis & aſtutiæ, vt multi homines veluti obliti talium tantarumq; Domini ſententiarum, finem ſibi audeant pœnarum in poſterum adumbrare. Nam ſi æterni ſupplicij quandoq; finis eſt futurus, omnino habebit & vita æterna finem. Si in vita non ſic Euangelici dicti ſenſum accipimus: quæ ratio eſt, ſupplicio æterno finem ſtatuere? æterni enim adiunctio pariter in vtroque ponitur: Ibunt enim (inquit) hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.

LXXIV. Eiuſdem è ſermone adhortatorio ad ſanctorum baptiſma.

Propter breuem ac temporariam peccati voluptatem ſempiterna cruciatur pœna: propter voluptatem carnis ſempiterno igni addicor.

Sancti Ioannis Epiſcopi Conſtantinopoleos, è prima ad Theodorum monachum epiſtola.

EX S. IOAN. CHRYSOS. REDARGVTIO ORIGENIS. In mente igitur habeas fluuium ignis: fluuius enim igneus, rapiduſq; egrediebatur à facie eius. Non eſt, quod quiſquam ei deditus igni, ſupplicij finem expectet. Verum improbæ ſæculi huius voluptates ab vmbris ſomniiſq; nihil differunt: priuſquam enim peccatum ad finem peruenerit, extinguitur voluptas: ſuppliciorum vero, quæ pro flagitiis ſuſcipiuntur, nullus eſt finis.

Eiuſdem in commentariis in primam ad Corinthios epiſtolam.

LXXV. Non leuis nobis hinc propoſita quæſtio eſt, ſed de rebus valde neceſſariis: Quærunt plerique homines, ignis gehennæ ſit ne finem habiturus. Non habiturum, pronunciauit Dominus, cum diceret: Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur. Paulus vero cum perennem oſtendens, ait a de peccatoribus: Pœnas dabunt in interitu æternas. Quare cum diuina nos Scriptura, ſanctique Patres edoceant, nullum finem impiorum ſupplicij, dæmonumque, qui ab illis coluntur: quam reſtitutionem imaginantur, qui cum Origene ſentiunt, vbi ſuppliciorum nullus eſt exitus? Sancta enim Chriſti Eccleſia quemadmodum iuſtis indefinentem prædicat vitam æternam, ita impiis perpetua ſupplicia manere tradit. Atque hæc quidem in his. Nos porro paucas è multis diuinæ Scripturæ ſanctorumque Patrum auctoritatibus afferendas eſſe perſpeximus ad confutandam Origenis impietatem. 2. Theſſ. 1.

LXXVI. DE SYNODO HABENDA CONSTANTINOPOLI. Cum autem velimus omne ſcandalum à ſanctiſſima Eccleſia propulſare, vt nulla in ea macula relinquatur: obſequentes diuinis Scripturis, ſanctiſque Patribus, qui ipſum Origenem ac huiuſmodi ſceleratam impiamq; doctrinam profligarunt, ac iure anathemati ſubiecerunt, hanc epiſtolam ad tuam beatitudinem dedimus, qua eam hortamur, vt omnium, qui in hac regia vrbe nunc degunt, ſanctiſſimorum Epiſcoporum conuentum habeat, ac Deo amabiliſſimorum præfectorum ſanctis, quæ hic ſunt, monaſteriis: faciatq; vt omnes in ſcriptis præfatum impium ac Deo repugnantem Origenem (qui & Adamantius) quique presbyter fuit ſanctiſſimæ Eccleſiæ Alexandriæ, & eius nefaria impiaque dogmata, capitulaque omnia, quæ inferius ponuntur, omnimodis anathematizent: & exempla dimittat eorum, quæ à beatitudine tua ob hanc cauſam geſta fuerint, ad alios omnes ſanctiſſimos Epiſcopos, præfectoſque venerabilium monaſteriorum, vt & ipſi ſubſcriptione propria anathematizent Origenem, ſceleſtaque eius dogmata cum omnibus, qui declarabuntur, hæreticis.

LXXVII. QVOS DEBERENT ORDINANDI PRÆSVLES ANATHEMATIZARE. In poſterum autem ne aliter ordinentur Epiſcopi, aut monaſteriorum hegumeni, niſi prius cum aliis omnibus hæreticis, qui de more in libellis anathematizantur, id eſt, Sabellio, Ario, Apollinario, Neſtorio, Eutychete, Dioſcoro, Timotheo Æluro, Petro Mogo, Anthimo Trapezuntij, Theodoſio antea Alexandriæ, & Petro, qui Apameæ præfuit, & Seuero, qui Antiochiæ, prædictum etiam Origenem, qui Paganorum Arianorumque inſania laborauit vna cum execrabilibus impiiſque eius dogmatibus anathematizent. Omnibus enim prædicendum eſt, ne omnino quiſquam audeat talem hæreticum aut eius expoſitiones aſſerere, ſed eas vnuſquiſque ex toto animo & tota cogitatione oderit & auerſetur & anathematizet, vt à Chriſtiana traditione alienas, & ſimpliciorum animabus grauem afferentes luem ac peſtem. Hæc porro eadem ſcripſimus non ſolùm ad ſanctitatem tuam, ſed etiam ad ſanctiſſimum & beatiſſimum Papam ſenioris Romæ & Patriarcham Vigilium, & ad cæteros omnes ſanctiſſimos Epiſcopos & Patriarchas, id eſt, Alexandriæ, Theopoleos, & Hieroſolymorum: vt & hi huic rei proſpiciant, & hæc finem accipiant.

LXXVIII Cum vero cupiamus omnes Chriſtianos cognoſcere, ſcripta Origenis prorſus à vera Chriſtianorum fide aliena eſſe, ex multis immenſiſque eius blaſphemiis, paucas ad verbum eſſe ponendas cenſuimus: Sic autem ſe habent.

ORIG. HORRENDÆ BLASPHEMIÆ DE TRINITATE. Quod minor ſit Filius Patre, & Spiritus Filio, è primo libro Periarchon.

Quod Deus quidem & Pater omnia continens ad vnumquodque entium peruenit, eſſe vnicuique impertiens de ſuo, eſſe* enim eſt minus. Quod vero præter Patrem Filius ad ſola rationabilia peruenit; eſt enim ſecundus à Patre. Adhuc etiam minor eſt Spiritus ſanctus, ad ſolos Sanctos perueniens. Ita ex hoc maior eſt poteſtas Patris præ Filio & Spiritu ſancto, amplior q; Filij præ Spiritu ſancto: ac rurſum præſtantior ſancti Spiritus poteſtas præ aliis cunctis entibus ſanctis.

* corruptū in Græco videtur.

Quod

Quod finita eſt Dei & Patris poteſtas, è ſecundo libro eiuſdem voluminis.

LXXIX. *Finitam namque eſſe & poteſtatem Patris dicendum nec prætextu laudis incircumſcriptio eius tollenda eſt.* Et paulo poſt: *Tanta enim fecit, quanta ſub manum comprehendere & habere poterat, & continere ſub prouidentia ſua: quemadmodum tantam confecit materiam, quantam adminiſtrare & exornare poterat.*

Eiuſdem è quinto libro eiuſdem voluminis.

XXC. *Nemo autem ſermone offendatur, ſi modum ſtatuimus Dei poteſtati. Infinita enim complecti natura impoſſibile eſt. Nam cum ſemel finita ſint, quæ Deus ipſe comprehendit, neceſſe eſt terminum eſſe ad finita.* ipſe ſuſficit.

Quod creatura Filius eſt, ex eodem libro.

XXCI. *Hic Filius de voluntate Patris generatus, qui eſt imago Dei inuiſibilis & ſplendor gloriæ eius, figura ſubſtantiæ eius, primogenitus omnis creaturæ Creatura, Sapientia: ipſa enim Sapientia dicit: Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.* At de blaſphemiis Origenis in Deum hæc tantum in epiſtola Imperatoris, quibus hi ſubiiciuntur anathematiſmi:

XXCII. *Si quis dicit aut ſentit, præexiſtere hominum animas, vtpote quæ antea mentes fuerint & ſanctæ virtutes, ſatietatemque cæpiſſe diuinæ contemplationis, & in deterius conuerſas eſſe; atque idcirco ἀποψυγείσας, id eſt, refrixiſſe à Dei charitate, & inde ψυχὰς Græce id eſt, animas eſſe nuncupatas, demiſſaſque in corpora ſupplicij cauſa: anathema.*

*Si quis dicit, aut ſentit, Domini animam prius extitiſſe atque vnitam fuiſſe Deo Verbo ante incarnationem & generationem ex Virgine, anathema eſto.*

*Si quis dicit, aut ſentit, primum conformatum eſſe corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti in vtero beatæ Virginis, vt alterum hominum, ac poſtea vnitum ei eſſe Deum Verbum & animam, vtpote quæ ante fuiſſet; anathema eſto.*

*Si quis dicit, aut ſentit, omnibus cæleſtibus ordinibus aſſimilatum eſſe Deum Verbum, Cherubim quidem factum eſſe ipſis Cherubim, & Seraphim ipſis Seraphim, ac omnibus plane ſuperioribus virtutibus ſimilem eſſe factum; anathema eſto.*

*Si quis dicit, aut ſentit, in reſurrectione corpora hominum orbiculata ſuſcitari, nec confitetur nos ſuſcitari rectos; anathema eſto.*

*Si quis dicit cælum, & Solem, & Lunam, & ſtellas, & aquas, quæ ſuper cælos ſunt, animatas, & materiales eſſe quaſdam virtutes, anathema eſto.*

*Si quis dicit, aut ſentit, Dominum Chriſtum in futuro ſeculo cruciſixum iri pro dæmonibus, ſicuti pro hominibus, anathema eſto.*

*Si quis dicit, aut ſentit, finitam eſſe Dei poteſtatem, & eum feciſſe, quæ potuit comprehendere potuit, anathema eſto.*

*Si quis dicit, aut ſentit, ad tempus eſſe dæmonum & impiorum hominum ſupplicium, eiuſque finem aliquando futurum, ſiue reſtitutionem & redintegrationem fore dæmonum & impiorum hominum; anathema eſto.*

*Anathema & Origeni (qui & Adamantius) vna cum nefaria eius execrabili ſceleſtaque doctrina, & cuius, qui ea ſentiat, aut vllo modo profiteri quocumque tempore tueri præſumat. In Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.* hactenus ex ſcripto codice Antonij Auguſtini, in quo deeſt annus & dies.

XXCIII. Porro plures his fuiſſe errores Origenis ex S. Hieronymo collectos, meminiſſe debes, ſuperius ſuo loco recenſitos. Quod vero geſta hæc eſſent in Oriente, prætermiſſa ſunt referri plurium Conciliorum atque Pontificum aduerſus hos & alios enumeratos Origenis errores ſancita decreta, quæ omnia olim delata Romã, ipſius Romanæ Eccleſiæ cuſtodirent archiua, nempe quæ aduerſus eoſdem habita ſunt à Theophilo Alexandrino Epiſcopo in Ægypto, quæue à S. Epiphanio in Cypro, atq; ab Anaſtaſio Papa Romæ: de quibus omnibus ſuis locis ſuperius dictum eſt. Porro anathematiſmos hos hic recenſitos omnes in Quinta Synodo recitatos probatoſq; eſſe, ibiq; repetitam Origenis damnationem, Nicephorus tradit. Ipſe enim Imperator, quod ſciret extra fines eſſe regalis auctoritatis de fide ſancire decreta, hanc ob cauſam, (vt in eiuſdem modo recitata epiſtola audiuimus) ipſum Mennam Conſtantinopolitanum, ad quem ſcribit, admonet, vt Synodum habeat, à qua iſta omnia, quæ aduerſus Origenem ſcripta eſſent, confirmarentur: quod & factum fuit.

Sed non prætereat in iis, quæ ad finem prope eiuſdem Imperatoris epiſtolæ ſcripta ſunt de damnatione facienda hæreticorum cum ſiue Epiſcopus, ſiue Abbas ordinandus eſſet, haberi inter alios execrandos hæreticos eſſe adnumeratum Anthimum Epiſcopum Trapezuntii haud pridem damnatum ab Agapeto Pontifice. XXCIV. IVSTINIAN. VBIQVE DECEPTVS.

Quibus intelligas, ea cuncta, quæ dicta ſunt, ſtudio Imperatricis apud Vigilium, vt reſtitueretur in ſedem Conſtantinopolitanam Anthimus, eadem abſq; Imperatoris conſenſu vel ſcientia tractata eſſe per Theodorã Auguſtam primo cum Vigilio adhuc Romanæ Eccleſiæ diacono de creando ipſum Romanum Pontificem, ſi promitteret Anthimum reſtituere; deinde requiſitum ab eadẽ, cum pulſo Siluerio, idẽ Vigilius euectus eſſet in thronum. Sed & illud ex hac eadem epiſtola accipe: Iuſtinianum, cũ nominat in eadem epiſtola Vigilium Romanum Pontificẽ, circumuentũ fuiſſe, putaſſe nimirum, quẽ reuerti Romã, & ſubire iudiciũ iuſſiſſet Siluerium Papam, & audiſſet relegatũ in inſulã, iuſta ſententia condemnatum, Vigiliũ vero legitima ſubrogatione ſuffectum, cũ tamẽ longe aliter res ſe haberet. Sic plane in reb. grauiſſimis contingit, Principes falſa relatione ſæpiſſime falli.

Quid autem acciderit ex huiuſmodi aduerſus errores Origenis litteris Imperatoris promulgata damnatione, ex Liberato ſic accipe [b]. *Ex reſerato aditu aduerſariis Eccleſiæ, vt mortuus damnaretur Origenes, Theodorus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, dilectus & familiaris Principum, ſecta Acephalus, Origenis defenſor acerrimus, & Pelagio æmulus, cognoſcens Origenem fuiſſe damnatum, dolore damnationis eius, ad Eccleſiæ conturbationem, damnationem molitus eſt in Theodorum Mopſueſtenum; eo quod Theodorus multa opuſcula edidiſſet contra Originem, exoſuſque & accuſabilis haberetur ab Origeniſtis; & maxime, quod Synodus Chalcedonenſis (ſicut probatur) laudes eius ſuſceperit in tribus epiſtolis. Cuius damnationem memoratus Theodorus tali machinatione perfecit. Subſcribente Principe contra Acephalos in defenſionem Synodi Chalcedonenſis, accedens idem Theodorus Cappadociæ vna cum ſuis ſatellitibus, qui ſub nomine Catholico Acephalis fauebant, cum Theodora Auguſtæ fauore Imperatori ſuggeſſit, ſcribendi laborem eum non debere pati, quando compendio poſſet Acephalos omnes ad ſuam communionem adducere. Siquidem illi (inquit) hoc offendentur in Synodum Chalcedonenſem, quod laudes ſuſceperit, Theodori Mopſueſteni Epiſcopi, epiſtolamque Ibæ, quæ per omnia Neſtoriana cognoſcitur, quam Synodus ipſa iudicio ſuo pronunciauerit Orthodoxam. Qui Theodorus ſi cum dictis ſuis & hac epiſtola anathematizaretur, tamquam retractata Synodus atq; purgata ſuſciperetur ab eis per omnia & in omnibus, & ſine pietatis veſtræ labore Eccleſiæ Catholicæ ſocietati gaudentes, in vniuerſali Eccleſia clementiæ veſtræ laus erit ſempiterna.* XXCV. [b] Liberat. Diacon. Breu. c. 24. ARTES SYNODOLÆ THEODORI CÆSARIENSIS.

*Hæc audiens Imperator, & dolum doloſorum minime perſpiciens, ſuggeſtionem eorum libenter accepit, & facere libentiſſime ſpopondit. Sed rurſus illi callida fraude rogauerunt eum, vt dictaret librum de damnatione Trium capitulorum.* acceſſit enim duobus ſupra recenſitis capitulis iterum de Theodoreto Epiſcopo Cyri recepto in Concilio Chalcedonenſi. Sed pergit dicere de ſcripto Iuſtiniani Imperatoris: *Quo libro* (inquit) *eius edito & toto mundo manifeſtato, dum emendare Princeps erubeſcit, irreuocabilis cauſa fieret. Sciebant enim, Principem ſolita pietate, ſcandalo emergente, ſententiam ſuam poſſe corrigere, ſeſeque ad periculum peruenire. Annuit his Princeps, & hoc ſelatus implere promiſit; & relinquens operis ſui ſtudium, vnum in damnationem Trium capitulorum condidit librum, pro delictis noſtris omnibus notiſſimum.* XXCVI. DE TRIBVS CAPITVLIS CONTROVERSIA COEPTA.

*Cætera vero, quæ ſubſequenter in Epiſcopis & Catholica Eccleſia ab eodem Principe facta ſunt, quo modo conſentientes Epiſcopi in Trium damnationem capitulorum muneribus ditabantur, vel non conſentientes depoſiti, in exilium miſſi ſunt, vel aliqui fuga latitantes in anguſtiis felicem exitum ſuſceperunt, quoniam nota ſunt omnibus, puto nunc à me ſilenda. Illud ſiquidem omnibus credo, per Pelagium diaconum & Theodorũ Cæſareæ* XXCVII.

*Cappadociæ Epiſcopum hoc ſcandalum in Eccleſiam fuiſſe ingreſſum. Quod etiam publicè ipſe Theodorus clamitauit, ſe & Pelagium viuos incendendos, per quos hoc ſcandalum introiuit in mundum.* hactenus Liberatus finem imponens Breuiario ſuo de cauſa Neſtoriana & Eutychiana collecto (vt ait) ex Eccleſiaſtica hiſtoria è Græco in Latinum tranſlata, & ex Geſtis Synodalibus atque etiam epiſtolis ſanctorum Patrum: quæ quidem paulo poſt ab ipſo ſcripta fuiſſe, ex vltima rerum geſtarum narratione poſſumus intelligere. verum ipſum conſtat ex eorum claſſe fuiſſe, qui pro Tribus capitulis pugnantes, pro Theodoro Mopſueſteno, licet non pro erroribus ei aſcriptis etiam ſcripſere defenſionem: quod non obſcure ſuis ipſe ſcriptis ſignificat a. Cæterum quinam fuerit iſtiuſmodi de fide liber à Iuſtiniano Imperatore editus, inferius ſuo loco dicturi ſumus.

a Liber. Breuiar. cap. 9. 24.

XXCIIX. Quod autem ad œconomiam Eccleſiaſticam pertinet, idem Imperator alias edidit ſanctiones, atque in his totus eſſe viſus eſt, perinde atque ab omni belli cura remotus, cum tamen & Roma obſideretur à Gothis, & Africa, rebellantibus Arianis, in magno diſcrimine verſaretur, vt paulo poſt dicturi ſumus. Inter alia vero Kal. Maii hoc anno ſanctionem promulgauit, ne quis b præter voluntatem Epiſcopi domos oratorias fabricaret, inſuper de Epiſcopis, qui in ſuis Eccleſiis minime reſiderent, ac de alienatione rerum Eccleſiæ immobilium: aliam rurſum c de clericis ſubrogatis, & emolumentis eiſdem præſtandis, nec non de iure præſentandi, quod iis competat, qui in ædificandis eccleſiis ius ſibi patronatus retinere voluerunt: itemque aliam ſanctionem d de bonis eorum, qui ingrediuntur monaſterium. has tu maiori otio conſulas.

b Nouel. 67. & Auth. col. 5. tit. 17.
c Nouel. 57. & Auth. col. 5. tit. 16.
d Nouel. 76.

XXCIX. Hoc eodem pariter anno duodecimo Imperatoris, cum (vt dictum eſt) *belli Gothici tertius adhuc annus ageretur* (inquit Procopius e) *ex Mediolano vir ſacer quidam Datius nomine* (Epiſcopus hic erat Mediolanæ Eccleſiæ) *ciuesque primores nonnulli cum Romam veniſſent, à Beliſario ſuppliciter petiere, modicum ad ſe vt præſidium mitteret, quo ſatis ſe poſſe aſſeuerarent non modo Mediolanum, ſed Liguriam omnem abductam à Gothis Imperatori recuperare.* qui hac functus eſt legatione Datius, vitæ ſanctitate inſignis eſt habitus, de quo plura dicturi ſumus. Hic ergo vt vendicaret à Gothis iiſdemque Arianis populos ſpirituali regimine ſibi ſubditos, omnem adhibuit diligentiam, quo exemplo ſatis intelligas, non mereri calumniam, neque inuidiam Epiſcopos illos pati debere, qui ne ſub hæretico Principe degant, omnem lapidem voluunt. Quomodo autem Beliſarius eadem Mediolanenſi ciuitate, totaque Liguria potitus ſit, idem Procopius narrat f.

e Procop. de bello Goth. lib. 2.
DATIVS EPISCOP. MEDIOL. CONTRA GOTHOS IMPLORAT AVXILIVM.
f Procop. de bello Goth. lib. 2.

## IESV CHRISTI
### Annus 539.

SILVERII PAP. Annus 3. IVSTINIANI IMP. 13. VITIGIS REG. 3.

I. ANNVS Domini quingenteſimus vndequadrageſimus Apione * Ægyptio Conſule abſque collega notatur: ita Apio ab Api denominatus Ægyptius: licet in Nouellis Imperatoris, pro Apione, Ario ponatur. Nouellæ g enim complures, quæ ſub Conſulatu Arionis datæ reperiuntur, ſub Apione Conſule ſcriptæ noſcuntur. Numeratur idem annus belli Gothici in Italia quartus. Cum Siluerius Papa tertio exacto Sedis ſuæ anno exigitatus (vt dictum eſt h) aduerſariorũ calumniis & in Palmaria inſula relegatus detentus, conſenſu habito quatuor, qui eum conuenerant, Epiſcoporum, aduerſus Vigilium Romanæ Eccleſiæ cathedræ inuaſorem anathematis ſententiam tulit, hiſque verbis conſcriptam ad ipſum miſit i:

* alias Appio.
g Nouel. 78. vſq. ad 91.
h Liberat. diacõ Breuiar. c. 22.
i Extat inter Acta Silverij tom. 2. Concil. & tom. 1 epiſt. Rom. Pont.

*Siluerius Epiſcopus Vigilio.*

II. *Multis te tranſgreſſionibus irretitum, ſacerdotalis iam dudum nouimus generaſtas. Et quia cruentis humano ſanguine manibus deceſſoribus noſtris peruicacia tua ſubripiens, Leuiticæ præſumpſeris excubare miniſterijs, plerique nouerunt Fidelium. Nam quia contra iura canonica, temporibus ſanctæ memoriæ Bonifacij Papæ, ipſo viuente, ſucceſſor eius deſignari conabaris, niſi tibi amplißimi Senatus obuiaſſet iuſtitia: tunc prouidentia paſtorali ac Pontificali auctoritate, tua execranda iam debuerant auſpicia detruncari. Sed dum paruum vulnus in te neglectum eſt, inſanabile accreuit apoſtema: quod niſi ferro altius abſcindatur, fomentorum ſentire non poteſt medicinam. Quippe qui nequiſſimum ſpiritum audaciæ, ambitionis phreneſim concipiens, in illius Apoſtolici medici, cui animas ligandi ſoluendique collata & commiſſa poteſtas eſt, verſaris contumeliam, nonnunquam ſcelus erroris in Apoſtolica Sede rurſus niteris inducere; & in morem Simonis, cuius diſcipulum te oſtendis operibus, data pecunia, meque repulſo, qui ſapiente Domino, tribus iam igitur emenſis temporibus ei præſideo, tempora mea niteris inuadere.* per tria hæc emenſa tempora tres annos, diuinæ Scripturæ more, ſedis iam elapſos Siluerius notat, qui ſubdit:

SILVERII RELEGATIO.
VIGILIVS IN NATVM ILLIVM INTRVSVM.

III. *Habeto ergo cum his, qui tibi conſentiunt, pœnæ damnationis ſententiam: ſublatumque tibi nomen & munus miniſterij ſacerdotalis agnoſce, ſancti Spiritus iudicio & Apoſtolica à nobis auctoritate damnatus. Sic enim decet fidem ſanctorum Patrum in Eccleſia ſeruari Catholica; vt quod habuit, amittat, qui improbabili temeritate, quod non accepit, aſſumpſerit. Data octauo Kalendas Iulij* quod ſequitur, *Principe Baſilio*, ſiue (vt alia lectio habet) *Beliſario Patricio* adiectum putatur, cum temporibus his Silverii nullus conueniat Beliſarii Conſulatus, neque Baſilii: quorum alterius, nempe Beliſarii contigit ante annos duos; alterius itidem, Baſilii ſcilicet, poſt annum ſequentem. Subiicitur autem huic ſententiæ eiuſdem Papæ ſubſcriptio & aliorum, qui interfuerunt Epiſcoporum: *Cælius Siluerius Papa* ✠ *urbis Romæ huic decreto anathematis in Vigilio peruaſore facto, ad omnia ſtatuta conſenſum præbens ſubſcripſi. Pariter & quatuor Epiſcopi ſubſcripſerunt, id eſt, Terracinenſis. Fundanus, Formianus, & Minturnēſis. Data eſt chartula per Anaſtaſium ſubdiaconum.* hactenus ibi.

PRIVATVR VIGILIVS ABREPTO PONTIFICATV.

IV. Sic igitur beatiſſimus Pontifex vna cum Apoſtolo Paulo vinctus in Domino, æque cum Paulo illud Apoſtolicum concinit k: *Laboro vſque ad vincula, quaſi male operans: ſed verbum Dei non eſt alligatum.* Ita quidem, cum licet deportatus in inſulam, incluſus carceri, vallatus cuſtodia, atque conſumptus inedia, nihil tamen remittit ſacerdotalis roboris atque conſtantiæ, vel Pontificiæ poteſtatis; potenſque gladio Spiritus, quod eſt verbum Dei, ſciens cunctos ſibi populos habere ſubiectos, quos ſuo arbitrio vel abſoluat, aut æternis vinculis obliget, auctoritate, qua pollet, aduerſus Romanæ Eccleſiæ inuaſorē, ſpiritumque intruſum Pontificem valide telũ damnationis intorquet; & vniuerſo oſtendit Orbi illum, qui faſtigium Apoſtolici throni ſui furtus aſcendit, ſeque pro Pontifice gerit, non referre Simonem Petrum, ſed magum, neque Vicarium eſſe Chriſti, ſed Antichriſtum. Eminet, licet conculcata preſſuris, in inſula Apoſtolica Sedes: illuſtratur Antiſtitis præſentia pluſquam Roma, Palmaria: non anguſtiatur exiguæ inſulæ termino, nec clauditur circumdantis maris Eccleſia fluctibus, quæ magis dilatatur aduerſis & creſcit anguſtiis. Fœcunda antiquorum martyrum palmis ipſa Palmaria, nouo germine, tanti Pontificis martyrii palma mirifice decoratur; eoque magis, quod pacis tempore, cum nullus Chriſtianæ fidei hoſtis Gentilis tyrannus inſurgit, ſola ipſa eiuſmodi triumphali fronde vireſcit.

k 2. Tim. 2.
IN VINCVLIS NITET PONTIFICIA POTESTAS.

V. Interea vero congemuit vniuerſus Catholicus orbis ad vniuerſalis Eccleſiæ Præſulis ignominias, communicans ipſius vinculis (vt licuit) ſcriptis epiſtolis, quarum vnicum, quod ſupereſt, hic ubi reddimus monumētum: quas enim vnus inter alios Amator Epiſcopus (quem puto Auguſtudunenſem illum l, qui hoc tempore claruit ſanctitate) ad eum literas cum muneribus dedit, vt ea, quam patiatur, ipſum leuaret inopia, hic tibi integras exhibemus; ſic enim ſe habent m:

l De eo Rom. Martyrolog. die 16. Nouem.
m In Tom. 1. epiſt. Rom. Pont. ant epiſt. Silver.

*Beatiſſimo Siluerio Amator Epiſcopus.*

VI. *A quibuſdam, Pater dilectiſſime, illis à partibus aduentantibus audiuimus, vos à ſede S. Petri iniuſte pulſum, exilio deſtinatum. Quod nimis graue ferentes, miſimus parua munuſcula;*

AMATORIS EPISCOPI EPIST. AD SILVERIVM PAPAM.

id eſt,